


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

G1
55
521



Gt 55.521



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

QUO

TEMPORE THUCYDIDES

PRIOREM OPERIS SUI PARTEM COMPOSUERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

GOTTINGENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDRICUS KIEL

HANNOVERANUS.

HANNOVERAE,

TYPIS EXPRESSIT W. JÜRGENS.

MDCCCLXXX.

Gt 55.521



Constantius fund

VITA.

Natus sum Fridricus Kiel Hannoverae die II m. Maji a. 1854 patre Adolpho et matre Maria e gente Ebeling. Sex annos me nato pater mortuus est, cum matris fratrem Augustum Ebeling, gymnasii Cellensis directorem, tutorem mihi fratribusque ac sorori instituisset. Hoc auctore a. 1864 gymnasium, quod tum in urbe nostra unum erat, adii et usque ad ver a. 1873 frequentavi. Tum Gottingam me contuli, ut studiis philologicis me darem. Per aestatem a. 1875 cum Lipsiae versatus essem, inde ad priorem locum studiorum meorum redii, ut denuo scholis virorum illustrissimorum Sauppii, Ernesti de Leutsch, Wachsmuthi, Wieseleri, Wilhelmi Muelleri, Lotzi, Baumanni interessem. Studiis academicis absolutis ineunte autumno a. 1876 Hannoveram redii, ut studia privatim pergerem. Mense autem Decembri ejusdem anni a doctissimorum virorum societate quae Gottingae instituta est ad tentandam scientiam eorum qui eruditioni discipulorum se daturi sunt, publico testimonio mihi permissum est, ut linguam et nostram et Latinam et Graecam omnium gymnasii classium discipulos, historiam et geographiam inferiorum et mediarum docerem. Postero anno cum militis officio functus essem, ab Henrico Ludolpho Ahrensio, quo ante praeceptore dilectissimo usus eram, ad urbis nostrae Lyceum I quod dicunt, vocatus sum, cujus quartae classi ab hoc tempore praeero.

Scripsi Hannoverae, die XX m. Martii a. 1880.

Ex quo Ullricus in symbolis ad interpretationem Thucydidis pertinentibus primum disseruit, quo tempore ille priores libros operis sui composuerit, in hanc quaestionem his temporibus summum studium summaque industria collata sunt. Tres autem sententiae inter se diversissimae nunc de hac re inveniuntur: primum Ullrici, deinde Classeni, vel potius Kruegeri, tum Herbsti horum sententias inter se conjungentis. De his igitur mihi agendum erit, priusquam meam exponam.

Ullricus igitur judicat Thucydidem narrationem belli coepisse, cum prius bellum, quod Archidamicum vocant, pace Niciae confectum esset. In enarrando autem hoc bello cum ad eas res pervenisset, quae sunt in medio libro quarto, alteram partem belli ortam esse, cum Athenienses classem in Siciliam mitterent. Hac re scriptorem adductum esse, ut in enarrando subsisteret, quod putaret hoc novum bellum in Sicilia gerendum quodam modo alteram partem ejus belli esse, quod tum ipsum scriberet, atque ad priorem partem satis recte enarrandam sibi opus esse scire, qui exitus posterioris belli sive totius esset. Cum autem hoc anno 404 a. Chr. n. confectum esset, eum et in eis quae prius scripsisset, tribus locis (II 65, 5—13; 100, 2; IV 48, 5 *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε*) pauca addisse et opus scribere ita perrexisse, ut duo illa bella et prius, cujus maximam partem conscriptam haberet, et posterius, quod scribere tum inciperet, pro uno haberet atque in prioris belli annis numerandis pergeret. Hanc igitur sententiam Ullricus nonnullis locis quattuor primorum librorum ita comprobavit, ut doceret Thucydidem, cum hos scriberet, bellum totum nondum cognitum habuisse. Nam si habuisset, futurum fuisse, ut aliter his locis scriberet.

Cum autem opus intermissum scribere pergeret et prius bellum partem esse totius sibi persuasisset, — quod quidem temere factum esse Ullricus suspicatur (pag. 141: wohl ohne nähere Erwägung) — eum oblitum esse se in parte prius conscripta illis locis dixisse, quae de eo quidem bello, quod prius scripturus fuisset, recte dici possent, sed si belli quod tum narraturus esset, rationem haberet, non possent, quod res postea gestae repugnarent.

Haec omnia num recte Ullricus ex illis locis concluserit, post videbimus. Nunc de eis quae toto bello confecto Thucydidem addidisse vult, pauca dicemus. Libro igitur IV 48, 5 scriptor narrans, qui finis fuerit discordiarum intestinarum, quae inter Corcyraeos fuerint, narrationem his concludit verbis *καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο, ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε.* Ullricus autem judicat Thucydidem, cum primum opus componeret, scripsisse *καὶ ἡ στάσις ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο*, deinde nonnullis annis post, cum novas discordias Corcyraeorum comperisset, addidisse *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε.* Quo tempore hoc fecerit, Ullricus priore loco, quo de hac re disputat, non sine aliqua dubitatione videtur definire dicens pag. 101: „Als er diese Verbesserung nachtrug, war ihm zwar der zweite Krieg schon einem guten Theile nach bekannt; doch folgt daraus noch nicht, dass er damals auch schon entschlossen gewesen sei, sein Geschichtswerk auch noch über diesen auszubreiten.“ Altero vero loco, pag. 135, ita dicit: „Als er nun nach einer Unterbrechung von zehn bis elf Jahren etwa . . . den Faden seiner Erzählung aufnahm, . . . damals mochte in die schon früher vollendete Stelle IV. 48, 5 durch *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* jene Hinweisung auf den zweiten Kerkyräischen Bürgerkrieg von dem Jahre 410 eingefügt worden sein.“ Quamquam his duobus locis Ullricus non sine aliqua dubitatione loquitur, tamen quod nusquam aliam protulit sententiam, putandum est, eum pro certo habuisse Thucydidem verba illa *ὅσα γε* et qu. s. post finem totius belli addidisse. Neque arbitror quemquam alio tempore suspicari posse ea inculcata esse.

Hoc autem tempore ea inculcari non potuisse ex II 65, 5—13 mihi videtur apparere.

Hoc igitur loco scriptor Periclis in rem publicam Atheniensium merita laudans res in Sicilia gestas ita commemorat, ut ex ejus verbis appareat ei videri posterius bellum ita cum priore cohaerere atque conjunctum esse, ut pro uno habenda sint[1]) Contra IV 48, 5 in verbis ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε prius bellum ita posteriori opponit, ut hoc ei haec verba scribenti novum et a priore diversum visum esse appareat. Cum autem dubium non sit, quin etiam lib. II 65, 5—13 verba, ex quibus Thucydidem pro uno habuisse bellum apparet, toto bello confecto ab eo addita sint, si vera esset Ullrici sententia, concludendum erat scriptorem post belli finem de duabus belli partibus non semper idem sensisse, sed primum pro duobus deinde pro uno bello habuisse. Quod nullo modo fieri potuisse, quis est quin intellegat. Nam sit ut scriptor, cum bellum in Sicilia geri coeptum esset, opus intermiserit, causa nulla fuisse potest, nisi quam Ullricus in pag. 134 affert: „Einem jeden musste der neue Kampf als die nothwendige Fortsetzung des früheren erscheinen, da keine vollkommene Ausgleichung möglich geworden war, dem Geschichtschreiber aber alsbald der Gedanke entstehen, auch diesen fortgesetzten Kampf zu schreiben, der ja doch mit dem ersten

[1]) Ullricus ipse hoc concedit verbis, quae sunt in pag. 141 infr.: Wer . . . die ersten vier Bücher . . . in der Absicht liest, den ersten Krieg zu lesen, welchen Thuk. fast ganz geschrieben habe, ehe er den späteren noch kannte, . . . der wird alles so auffassen, wie der Geschichtsschreiber es selbst gedacht hat. Thuk. hat jedoch schwerlich diese Absicht gehabt, . . . sonst hätte er ohnmöglich im zweiten Buche jene beiden Stellen später einfügen können, welche erst nach dem ganzen Kriege geschrieben sind, und von welchen die erste wenigstens ganz entschieden in dem Leser die Ansicht begründen muss, der Geschichtsschreiber habe sein Werk, wenn auch nicht ganz, doch gewiss von der Mitte des zweiten Buches an erst nach der Einnahme Athens geschrieben.

zusammen ein und derselbe Kampf war." Cum igitur veri simile sit Thucydidem jam anno 413 bellum oriens pro parte nova ejus belli habuisse, quod ad id tempus scripserat, quanto magis putamus ei post finem hujus belli persuasum fuisse haec duo bella pro uno habenda esse.

At sit ut per totum alterum bellum septem illos annos, qui sunt inter Niciae pacem et classem in Siciliam missam, non pro bello sed pro pace habuerit, quae causa cogitari potest, qua adductus sit, ut hanc sententiam mutaret. Neque enim dubitari potest, quin quamdiu alterum bellum gestum est, hoc scribere rebus in eo gestis et exquirendis et notandis paraverit. Hoc autem si fecit, ne id quidem dubium est, quin hoc tempore saepe secum reputaverit, num hoc bellum cum eo cohaereat, quod prius scripserit. Si igitur hac re animo agitata sibi persuasisset bellum prius cum posteriore non cohaerere, quomodo cum etiam totum bellum spectans aliquamdiu hanc retinuisset sententiam, fieri potuit, ut subito eam ita mutaret, ut septem illi anni non jam vera pax sed *ὀνόματι σπονδαί* (IV 10, 2) ei viderentur. Itaque cum vix ulla causa tantae tamque subitae mutationis excogitari possit, ne factam quidem esse putandum est. Sin autem facta non est sed certum est Thucydidem post finem totius belli idem sensisse, duo bella esse unius partes,[2]) ne id quidem fieri potuit, ut verba *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* inculcans prius bellum posteriori tanquam novo opponere vellet.

Fortasse dixerit quispiam idem quod Ullricus in pag. 101: Als er die Verbesserung nachtrug, war ihm zwar der zweite

---

[2]) Hanc Thucydidis sententiam fuisse comprobatur etiam V 26, 4, ubi haec sunt *ἀεὶ γὰρ ἔγωγε μέμνημαι, καὶ ἀρχομένου τοῦ πολέμου καὶ μέχρι οὗ ἐτελεύτησε, προφερόμενον ὑπὸ πολλῶν, ὅτι τρὶς ἐννέα ἔτη δέοι γενέσθαι αὐτόν.* Nam quamquam non multum Thucydidem tribuisse oraculis constat, tamen apparet jam primis posterioris belli annis multos fuisse (*ὑπὸ πολλῶν*), qui novum bellum pro parte prius gesti haberent. In his autem Thucydidem ipsum fuisse ex eo concludas, quod ipsis verbis addit se illud meminisse *καὶ ἀρχομένου τοῦ πολέμου.*

Krieg schon einem guten Theile nach bekannt; doch folgt daraus noch nicht, dass er damals auch schon entschlossen gewesen sei, sein Geschichtswerk auch noch über diesen auszudehnen. Si haec verba Ullrici recte intellego, videtur putare, quamquam Thucydides, cum haec verba adderet, bellum unum fuisse arbitratus sit, tamen ei licuisse vocabulo ὁ πόλεμος ὅδε priorem ejus partem significare, cum et in eis, quae antecedant, et in eis, quae usque ad V, 24 sequantur, nihil narretur nisi prior belli pars, quam jam ante τὸν πόλεμον τόνδε nominaverit. Posterius autem bellum hoc vocabulo comprehendi propterea neminem legentium potuisse arbitrari, quod hujus belli historia non prius narretur, quam V 26 novo prooemio praeparata sit. At huic Ullrici sententiae repugnat locus, qui eum de quo agitur paulo post sequitur. Lib. enim IV 81, 2 sunt haec: ἔς τε τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον ἡ τότε Βρασίδου ἀρετὴ καὶ ξύνεσις . . . μάλιστα ἐπιθυμίαν ἐνεποίει τοῖς Ἀθηναίων ξυμμάχοις ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους. Diligentissime hic videtur scriptor significasse se bellum posterius ac prius pro uno habere. Nam nisi forte illud χρόνῳ supervacaneum est, quid aliud sibi vult atque hoc: bellum quod post expeditionem Siciliensem gestum est, tempore quidem posterius est quam prius sed non per se πόλεμος ὕστερος h. e. ἄλλος sive δεύτερος est, verum pro posteriore parte ejusdem belli quod nunc narro habendus est. Cum igitur ex hoc loco appareat eum jam in eis, quae de priore bello 10 annorum narravit, (I 1—V 24) vocabulum ὁ πόλεμος ita usurpare, ut significet totum bellum 27 annorum — quod etiam in eis eum fecisse patet, quae II 65 eum posteriore tempore addidisse Ullricus vult — ne hoc quidem Ullrico concedere possumus eum IV 48, 5, quem locum eodem fere tempore Thucydidem scripsisse ipse putat, vocabulo ὁ πόλεμος ὅδε bellum decem annorum a reliquo sejunxisse. Si vero hoc loco non licet id putare, ne aliis quidem ejus operis partis, quam Ullricus ante bellum denuo coeptum conscriptam esse putat, concedere possumus scriptorem vocabulo ὁ πόλεμος sive ὅδε ὁ πόλεμος bellum decem annorum significasse.

Quaerendum igitur est, quo alio modo primum IV 48, 5 deinde aliis locis illud ὁ πόλδμος ὅδε interpretandum sit. Ac Classen quidem de toto bello 27 annorum vult dictum esse. Sed cum Thucydides verbis ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε annum 410 spectaverit, quo Corcyraeos novis discordiis civilibus motos esse Diodorus XIII 48 tradidit, ne Classeni quidem sententiam probare possumus, quae constare non potest, nisi Diodorum illo loco falsa ac ficta narrasse putamus. Cum autem quominus hoc arbitremur, magna obstent ac gravia, quae Herbstius satis copiose in Philologi quem vocant vol. XXXVIII part. III exposuit, alia ac Classeni interpretatio hujus loci quaerenda est.

II.

Venio ad duos reliquos locos, quos Ullricus putat a Thucydide bello toto confecto additos esse, quorum alter est in lib. II 65, 5—13 alter in eodem lib. cap. 100, 2. Prior igitur continet laudem Periclis, cujus supremam orationem scriptor paulo ante reddidit, posteriore autem paucis commemorat Archelai, regis Macedonum, in regnum suum merita. Hos autem locos qui legit, eum arbitror sibi persuadere eos, si posteriore tempore scriptor addiderit, ut Ullricus vult, non eo consilio additos esse, ut quod prius narrare oblitus esset, suppleret, neque ea de causa, quod putaverit ad prius narrata recte intellegenda eis opus esse. Nam si abessent, tamen omnia essent perspicua. Itaque causa cur illa addiderit, nulla fuisse potest, nisi quod opus prius conscriptum post belli finem relegit, relegens autem auxit et ornavit. Ullricus hoc quidem concessit sed invitus, dicens in pag. 140 Sollte der Geschichtsschreiber vielleicht noch eine nachbessernde Durchsicht seines Werkes beabsichtigt haben? Wahrscheinlich ist dieses nicht. . . Doch scheint das zweite Buch in so weit eine Ausnahme hiervon zu machen, als zwei erst später nachgetragene Stellen, 2, 65 und 100, darin enthalten sind. Suo autem jure mihi videtur Ullricus recusare,

ne Thucydidem opus prius conscriptum post retractasse concedat. Nam haec res concessa multum valeret ad ejus sententiam labefactandam. Etenim si solum alterum librum Thucydidem denuo perlegisse putamus, facere non possumus, quin concedamus eum plurimos eorum locorum relegisse, quibus maxime Ullricus sententiam suam fulsit ac confirmavit. Atque etiamsi initium hujus libri eum non relegisse putemus, tamen quin ea quae sunt a cap. 55, retractaverit, vix quisquam dubitare potest. Nam cum II 65 illa de Pericle adderet, necesse fuit eum quae antecederent cognovisse, quandoquidem nemo sine cognitione eorum quae ante sunt dicta, recti quicquam inculcare potest. Sin autem constat scriptorem ea quae a cap. 55 sunt narrata, perlegisse, etiam id eum perlegisse concedendum est, quo non minime Ullricus sententiam suam confirmavit. Narrat enim cap. 57, 2 Peloponnesios, cum iterum in Atticam invasissent, longissimum tempus ibi mansisse.[3]) Ex his igitur verbis Ullricus conclusit Thucydidem haec scribentem posterius bellum, quo Lacedaemonii Deceleam occupavissent, cognitum nondum habuisse. Nam si illam longam invasionem, quam et ipsam Thucydides vocabulo ἐσβολή significaverit, cognitam habuisset, hanc alteram non longissimam eum dicturum fuisse. Haec Ullrici conclusio quamvis probabilis videatur esse, tamen labefactatur, si nobis persuademus, scriptorem hunc locum post totum bellum relegisse, quo quidem tempore illud bellum Deceleicum quod vocant, non solum non ignoraverit sed etiam pro parte totius belli habuerit (cf. Ullr. p. 141 infr.). Nonne enim par erat, si prius scripta perlegisset, eum corrigere ea, quae de priore invasione falso dicta esse videbantur, quoniam temporibus posterioribus refellebantur. Ut tamen id non faceret, duarum causarum alterutra factum esse poterat, aut neglegentia, aut quod putabat ea quae prius dixisset, recte esse dicta, etiamsi totius belli 27 annorum rationem haberet. Neglegentiam autem puto propterea

---

[3]) τῇ δὲ ἐσβολῇ ταύτῃ πλεῖστόν τε χρόνον ἐνέμειναν.

causam non fuisse, quod memoria belli Deceleici in eo recentior et gravior erat, cum haec verba relegebat. Itaque veri simile est has res proximo tempore gestas in ejus memoriam redisse, cum priorum temporum res *similes*, quas ipse narraverat, relegeret. Sin autem relegenti hae res posteriorum belli temporum in memoriam revocatae eis repugnare visae essent, quae prius narravisset, quis est qui putet eum hos locos correcturum non fuisse, nisi certa causa eum retineret? Haec autem nulla fuisse potest, nisi quod non solum alteram invasionem sed omnes prioris belli cum invasionibus posterioris comparare *nolebat*, quod genere suo priores a Deceleica diversas esse putabat. Hoc autem si constat, verbis *τῇ δὲ ἐσβολῇ ταύτῃ πλεῖστόν τε χρόνον ἐνέμειναν* (II 57, 2) comprobari non potest Thucydidem priorem belli partem descripsisse, priusquam alteram cognovisset. Sed ita judicandum est: si certis aliis causis efficeretur Thucydidem eo tempore, quo vult Ullricus, opus suum composuisse, hic locus non obstaret huic sententiae. Ad hanc autem comprobandam nihil valet. Num autem aliis locis, ex quibus Ullricus argumenta sua petivit, ejus sententia magis confirmetur, nunc videamus.

Hi igitur omnes praeter unum V 26 ex quattuor primis libris petiti sunt, quos Ullricus quidem a Thucydide perlectos esse non arbitratur, sed *omnes* arbitrati sunt, qui ejus sententiam secuti sunt. Ac recte quidem hi mihi videntur fecisse. Nam cum ex locis illis libri II (65 et 100) appareat Thucydidem ea quae sunt a capite 55 usque ad 100, perlegisse, sine ratione putatur reliqua non perlegisse. Quae enim causa excogitari potest, qua adductus sit, ut hanc partem relegeret, illam non relegeret. Itaque recte mihi videtur Otto Gilbert in Indicis philologici quem vocant volumine IX eos laudasse, qui cum Ullricum sequantur, vestigia reperire conati sunt, ex quibus appareat Thucydidem priusquam belli alteram partem scriberet, omnia quae prius scripsisset, relegisse. Tamen hi viri non paulum mihi videntur Ullrici sententiam labefactasse.

Etenim sumamus recte judicasse Cwiklinskium[4]), qui putat hos locos a Thucydide post totum bellum opus prius scriptum relegente additos esse I 1—23 (cap. 22 excepto); 97—118; II 20; 48—51; 95—102, 1; III 82 seqq.; 86, 4; 93, 2; IV 48, 5; 74, 4; 81, 2, 3; 104, 4. Hi igitur loci si omnes post belli finem a scriptore additi essent, ex eo, quod per totos quattuor primos libros dispersi sunt, cognoscendum erat eum hos totos relegisse et ubique experientia ac cognitione quas per posterius bellum adeptus esset, usum esse ad ea illustranda quae prius narravisset. Hae autem res num etiam eis locis inveniantur, ex quibus Ullricus quique eum secuti sunt, argumenta sua petiverunt, nunc videamus.

Lib. igitur II 54, 3 sunt haec: *ἤν δέ γε, οἶμαι, ποτὲ ἄλλος πόλεμος καταλάβῃ Δωρικὸς τοῦδε ὕστερος καὶ ξυμβῇ γενέσθαι λιμόν, κατὰ τὸ εἰκὸς οὕτως ᾄσονται.* Thucydides hoc loco narrat Athenienses gravi pestilentia oppressos vetus oraculum in memoriam revocasse, quo praedictum esset venturum esse bellum Doricum simulque cum eo famem. Cum autem primum dissensissent, utrum fames (*λιμός*) an pestilentia (*λοιμός*) praedicta esset, tum calamitate ipsa plurimis persuasum esse oraculo pestilentiam portentam esse. Si vero aliud bellum Doricum posterioribus temporibus ortum esset, simulque fames exstitisset, veri simile esse illo modo homines praedicere. Haec igitur verba Ullricus arbitratur (pag. 70 seqq.) duabus de causis Thucydidem post totum bellum Peloponnesiacum scribere non potuisse, primum quod in fine hujus belli gravissima fames Athenis fuerit, deinde quod toto bello confecto Atheniensium vires tam attritae fuerint, ut de novo bello Peloponnesiaco Thucydides cogitare non potuerit. Quae contra hanc Ullrici sententiam a Classenio aliisque prolata sunt, ego non repetam, quamvis gravia sint. Hoc unum dico: sit ut Thucydides intra annos 421—413 haec scripserit, cum famem illam extremi belli ignoraret, num mentem

---

[4]) Queastiones de tempore quo Thucydides priorem historiae suae partem composuerit. Gnesnae. Diss. inaug. Berol. 1873.

ejus post annum 404 relegentis effugere poterat jam suspicandi (οἶμαι, ᾄσονται) tempus non esse, cum et ἄλλος πόλεμος Δωρικός et λιμός factus esset?

Qui tamen putant Thucydidem hoc loco neglegentem fuisse, his concedendum erit etiam reliquis, ex quibus Ullricus argumenta sua petivit, eundem fuisse. Quo ex numero omitto reliquos libri secundi librique III 86, 2; de cap. 87, 2 dicam, ubi de pestilentia qua Athenae initio belli oppressae sunt, haec sunt dicta: ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅτι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν. Haec igitur verba Ullricus putat Thucydidem scripturum non fuisse, si scribens magna illa damna comperta habuisset, quae discordiis civilibus extremo bello Athenis illata essent. At ego arbitror si scribens haec ignoravisset, relegens cognita habuisset, fieri non potuisse, cum relegeret quae de prioribus damnis scripsisset, quin recentiora in ejus memoriam revocarentur, quandoquidem, ut supra diximus, rebus similibus veterum temporum legendis recentiorum admoneri solemus. Sin autem haec recordatus esset, necesse erat quae prius scripserat, falso dicta esse ei videri, si re vera eis, quae prius scripserat, id exprimere volebat, quod Ullricus putat eum exprimere voluisse: nullam rem Atheniensibus plus nocuisse quam pestilentiam. Recta autem et vera necesse erat ei videri quae prius scripserat, si non unumquodque damnum spectaverat, sed solas eorum jacturas qui arma ferre poterant (δύναμις = copiae = Wehrkraft), ac si ne has quidem universas sed singulas singulis proeliis acceptas cum una pestilentia illata comparabat. Itaque ex eo quod Thucydides hunc locum relegens non correxit, concludendum est eum significare non id voluisse quod Ullricus putat, sed quod nos exposuimus. Quod si constat, ne hic quidem locus pro argumento habendus est, quo comprobetur Thucydidem priorem historiae partem ante classem in Siciliam missam scripsisse.

Ne vero etiam hic quis dicat quae hoc loco a Thucydide dicta sint, quamquam cum eis non conveniant, quae posteriore bello gesta sint, tamen ab eo non correcta esse,

cum ejus oculos effugerint, hoc admoneo scriptori verba sua relegenti circiter decem annos praeteritos fuisse, ex quo opus prius scriptum intermiserit, quibus annis et ab eo quodam modo alienatus erat et plurimas res novas cognoverat. Qui autem ita docti ad ea quae prius tractaverunt, redeunt, eorum attentiones plerumque excitari solent, si legunt quae cum eis non conveniant, quae paulo ante cognoverunt.

Reliquos locos, ex quibus Ullricus argumenta sua petivit, hic non tractabo, cum de eis idem judicandum sit, quod de his quos diligentius tractavi: si Thucydidem opus prius relegentem effugisset hos locos non convenire cum iis quae post gesta essent, neglegentissimum eum futurum fuisse non solum omnibus his locis sed in toto opere relegendo. Quod cum nemo sibi persuadere possit, aut putandum est eum non relegisse aut aliter atque Ullricus vult, ejus verba sunt interpretanda. Relectum igitur non esse a Thucydide opus prius scriptum Ullricus judicat. Sed hoc ei concedendum non esse supra demonstravimus. Quare nihil relinquitur, nisi ut putemus scriptorem relegentem illos locos, ex quibus Ullricus argumenta sua petivit, non correxisse, quia cum eis quae post facta sunt, convenire viderentur. Quod si concessum est, eodem jure eos post totum bellum scriptos esse dicere possumus, quo Ullricus quique eum secuti sunt, ante classem in Siciliam missam scriptos esse judicant. Atque ita de ejus sententia judicandum est: si aliis certis causis nobis persuaderetur Thucydidem priorem operis partem circiter decem annis ante posteriorem scripsisse, illi loci non repugnarent. Sed cum ad hoc comprobandum nihil valeant eique adversa sint quae II 65, 5—13; 100, 1; IV 48, 5 inveniuntur ac fortasse alia plura, quae nisi invitus nemo concedit in prius conscripta multis annis post inculcata esse, facere non possumus, quin ejus sententiam rejiciamus et locos ex quibus argumenta sua petivit, ita interpretemur, ut ab eo post totum bellum opus scribente recte dici potuisse videantur.

Non alienum mihi videtur hoc loco pauca de prooemio dicere, quod Ullricus eis, quae de eo disseruit, non paulum mihi videtur scriptoris auctoritati nocuisse. Cum enim Thucydides in prooemio ita velit eos qui opus legant attentos ac propensos reddere, ut hoc bellum omnibus prioribus et atrocitate et diuturnitate praestare demonstret, Ullricus putat hoc eum scripturum non fuisse, si post totius belli finem hoc prooemium composuisset. Nam tum satis habiturum eum fuisse dicere bellum per XXVII annos gestum esse, qua re unicuique persuaderet hoc bellum esse omnium gravissimum.[5]) Eorum igitur, quae de longitudine et atrocitate belli diceret, causam non futuram fuisse, nisi prius bellum quaeque in eo gesta essent, arte rhetorica ornare et extollere voluisset.[6]) Hoc si verum esset, Thucydidis mirum sane ac novum esset veritatis studium, qui quo loco logographos poetasque minore esse fide dicit (I 21, 1), cum res quas narrent aut addendo augeant aut aptius ad capiendos animos quam verius reddant, seque confirmat quam maxime verum comperire studuisse, eodem res quas ipse narraret, seu poetarum seu logographorum modo tractaret. Quod ut Thucydidem fecisse credam, tantum abest, ut ex eo quod hujus prooemii argumentum totius belli narrationi videtur accommodatum, prioris belli narrationi non accommodatum, nisi putamus Thucydidem arte rhetorica usum esse, concludam scriptorem totum bellum respicientem id scripsisse, h. e. cum totum bellum finitum esset.

III.

Et quoniam adhuc ea argumenta Ullrici refellimus, quae ex quattuor primis libris hausit, jam de altero prooemio quod vocant (V 26) mihi agendum est, quod quidem Gilbert

---

[5]) cf. pag. 111 infr.

[6]) cf. pag. 107: Auch Thukydides . . . wird . . . in die rednerische Beweisführung gedrängt.

in Indicis philol. vol. IX gravissimum argumentum judicat, quo Ullricus sententiam suam compobaverit. Tria autem sunt in hoc prooemio quibus Ullricus pro argumentis usus est: ac primum quidem quod Thucydides ejus quoque operis partis quae sequatur, auctorem se esse dicit, quod ille putat eum facturum non fuisse, si priorem operis partem scribens totum bellum ante oculos habuisset.[7]) Hoc quomodo Ullricus concluserit, ego non intellego. Nam primum saepius Thucydides nomen suum commemorat seque operis scriptorem profitetur, scilicet eis locis, ubi quae quoque anno gesta sunt, absolvit. Ex eo autem quod in libro quinto, in quo a cap. 26 res totius belli minime graves brevissime narrantur, eis quae de singulis annis narravit, nomen suum non addidit, Herbstius recte conclusit eum gravissimis locis — gravissimi enim sunt, ubi res maximae concluduntur — scriptorem se confiteri. Quis igitur miretur eum eo loco, qui uno excepto exordio nullo minus gravis est, nomen suum dicere et addere se reliqua quoque scripsisse. Quod qui secum reputant, ne id quidem mirari possunt eum hoc loco pluribus verbis uti et pauca de ratione qua reliqua scripserit, addere. Nam quo quid gravius est, eo copiosius exponendum est.

Deinde hac re mihi videtur Ullricus refelli posse. Cum Thucydides alteram belli partem scriberet, voluit id quod ante scripserat, pro parte totius belli haberi.[8]) Itaque etiam id quod in prooemio de se suoque genere narrandi dixerat, de toto bello dictum esse volebat. Quare cum eam belli partem, quam prius cognitam non habuerat, narrare inciperet, non solum necesse non fuit sed etiam absurdum etiam reliquae partis se esse auctorem profiteri, nisi certa

---

[7]) cf. pag. 126—127. Dieses hätte wohl nicht so leicht stattfinden können, wäre der Inhalt des ganzen siebenundzwanzigjährigen Krieges gleich ursprünglich in einer Auffassung als zusammengehörig gedacht und nach einem Plane geordnet worden.

[8]) Hoc eum voluisse ex eo cognoscimus, quod in annis prioris belli numerandis perrexit.

causa fuit. Haec autem fuit ea, quam exposuimus, quod locis gravibus nomen suum dicere consueverat. Hac vero re si adductus est, ne Ullricus quidem ex hoc loco concludere potest, quo tempore prior operis pars composita sit. Nam sive post totum bellum sive medio bello scripta est, putandum est Thucydidem hoc loco aliquid de se additurum fuisse.

Alterum argumentum quod Ullricus ex altero prooemio quod vocat, petivit est hoc, quod in hoc demum scriptor dicit bellum XXVII annos gestum esse, quod si totum opus incipiens cognitum habuisset, (cf. pag. 127) jam in priore prooemio dixisset. Sed ego dico eum incipientem non potuisse. Nam ut hoc diceret, ei opus esse visum est exponere, quo modo viginti septem anni belli invenirentur, quandoquidem non omnibus his annis bellum gestum est. Ad hanc autem expositionem facile intellegendam opus est eos qui ejus narrationem legunt, et priorem partem belli cognovisse et pacem qua finita est, indutiasque quae eam secutae sunt. Si igitur Thucydides in prooemio operis illud de spatio XXVII annorum disseruisset, opus fuit pluribus verbis exponere, quo modo bellum gestum sit quoque modo factum sit, ut interrumperetur. Eum autem hoc maxime evitasse, ne res prius narraret, quam eis quae antecederent, ex ordine temporum narratis deinceps ad eas pervenisset, ex omnibus ejus operis partibus ita elucet, ut necesse non sit hanc rem pluribus verbis comprobari. Quare ut demum in altero prooemio quod vocant spatium belli diceret, ejus more narrandi videtur factum esse, non eo, quod prius prooemium scribens totum bellum nondum cognoverat.

Tertium argumentum ab Ullrico ex prooemio altero petitum id est, quod Thucydides in eo et exsilium suum commemorat, quod in priore non commemoravit, et *ἀκρίβειαν* denuo pollicetur. Atque exsilium quidem putat Ullricus eum, si prius prooemium scribenti jam finitum fuisset, jam tum commemoraturum fuisse. At huic sententiae quominus assentiar, impedior, si mecum reputo, qua de causa

Thucydides hoc loco illud commemoraverit. Qui enim ea consideraverit, quae scriptor de se dixit, sibi persuadebit eum nihil dicere, nisi quae necessaria sunt, ut omnes intellegant eum talem fuisse, cui nec facultas nec voluntas ad res magnas recte narrandas defuerit. Itaque arbitror eum exsilium suum commemorasse, quod ad res ab eo narrandas magno fuit momento, quoniam eo effectum est, ut res Peloponnesiorum ipse cognosceret et ab ipsis exquireret. Priore autem loco non commemoravit, quod ejus mos fuit, ut supra diximus, ne in rebus narrandis quid praesumeret, ad ea autem quae prioribus libris narravit, accuratius et diligentius exquirenda ac cognoscenda nihil valuit ejus exsilium. Accedit quod si in priore prooemio hoc exsilium narravisset, de *στρατηγίᾳ* sua, quam ejus fuisse causam hoc loco significat, ante pluribus dicendum fuit, quam rebus prioribus narratis temporum ordine ad eam pervenisset, quod praeter ejus consuetudinem fuisse diximus.

Num vero Ullrici sententia eo comprobetur quod scriptor iterum *ἀκρίβειαν* commemorat et quidem rebus paucis de se additis, intellegimus, si hunc locum prooemii lib. I componimus cum verbis illis prooemii alterius. Lib. igitur I 22, 2 sunt haec: *τὰ δ'ἔργα τῶν πραχθέντων ἐν τῷ πολέμῳ οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος πυνθανόμενος ἠξίωσα γράφειν οὐδ' ὡς ἐμοὶ ἐδόκει, ἀλλ' οἷς τε αὐτὸς παρῆν καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών.* His igitur verbis Thucydides confirmat se rerum aliis ipsum interfuisse, alias quam maxima diligentia ex aliis exquisivisse. Lib. autem V 26,5 sunt haec: *ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ* (sc. *πολέμου*), *αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ καὶ προσέχων τὴν γνώμην ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι.* His igitur verbis Thucydides confirmat se, quoad bellum gestum sit, vixisse et quidem ita, ut et propter aetatem res gestas recte intellegere potuerit et maxime studuerit certam rerum cognitionem sibi comparare. Priore igitur loco scriptor nihil affirmat nisi se in rebus exquirendis summa diligentia usum esse, posteriore autem per totum bellum hoc se fecisse et per aetatem facere sibi licuisse. Quod cur hoc loco affirmet, cognoscimus, si

nobiscum reputamus eum in eis quae paulo antecedunt exposuisse bellum XXVII annorum fuisse. Ac sane erat memorabile eum per tantum temporis spatium et idonea fuisse aetate et res gestas accurate cognoscere studuisse. Simul autem apparet eum id quod hoc loco dixit dicere non potuisse, nisi illud de longitudine belli praemisisset. Eum autem in priore prooemio more suo narrandi nihil de spatio belli dicere potuisse supra dictum est. Ergo ne hoc quidem in illo affirmare poterat se per totam vitam, quantam inter bellum egerit, ea fuisse aetate, ut res gestas recte intellegere posset, et id semper egisse, ut certam rerum cognitionem sibi compararet. Quod cum certum sit, mirandum non est eum in altero prooemio iterum de ἀκριβείᾳ sua loqui, neque ex hac re concludi potest quod Ullricus conclusit, sed ita judicandum est: quamquam Thucydides jam initio libri primi dicere poterat se per totum bellum tam longum ita vixisse, ut et res in eo gestas recte intellegeret et certam earum cognitionem peteret, tamen noluit, quia de longitudine belli non prius quicquam dicturus erat, quam priorem ejus partem narravisset.

Accedit alterum quo adductus est, ut ἀκρίβειαν iterum commemoraret. In eis enim quae sequuntur narrat se posteriore bello inter Peloponnesios fuisse et ex his ipsis res in bello gestas exquisivisse. Itaque ejus certa rerum cognitio (ἀκριβές) in altera belli parte narranda alia erat atque in priore. Hoc autem necesse fuisse ab eo commemorari quis est qui neget. Eum autem quae de exsilio partim inter Peloponnesios peracto dixit, alio loco dicere non potuisse, supra dictum est. Ergo etiam ejus ἀκριβές hoc loco commemorandum erat et quidem ita ut commemoravit.

Itaque nullum eorum argumentorum quae Ullricus ex prooemio altero petivit, tale est, ut ex eo concludi possit Thucydidem hoc addidisse, quia prooemium prius scribens totum bellum nondum cognovisset. Sin autem alterum prooemium cum eo loco comparamus, quocum comparandum est, etiam in se habere arbitror, quibus ejus sen-

tentia refellatur. Nam quis est qui V 26, 1 legens *γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ἑξῆς, ὡς ἕκαστα ἐγένετο, κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας* non meminerit ea quae sunt in initio totius operis *Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου καὶ ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι* et qu. sequ. Si igitur certum est Thucydidem posteriore loco V 26 haec verba respexisse, facere non possumus, quin verba V 26, 5 *ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ* comparemus cum verbis (I 1, 1) *ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου.* His igitur verbis Thucydides dicit se ab initio belli hoc scribere paravisse, de se autem ac de aetate, qua opus scripserit, praeter illud quod de tempore dicit, quo coeperit, nihil addit. Hoc autem videtur propterea fecisse, quod ei haec verba scribenti propositum erat alio loco, cum partem belli narravisset, plura de se dicere. Si vero hoc certum est, ex eo quod in priore operis parte nihil de se dicit — nam quod pestilentia se aegrotasse narrat huc non pertinet —, concludendum est eum jam tum, cum prooemium libri primi scriberet, eo loco illa de se addere voluisse, quo addidit, h. e. ubi ad alteram partem belli transiret Hoc autem si putamus, Ullrico assentiri non possumus arbitranti eum prooemium libri primi scribentem hanc alteram belli partem nondum cognovisse.

Sed gravius etiam argumentum ex prooemio altero petam, quo Ullricum refellam. Sit enim, ut Thucydides priorem belli partem conscripserit, priusquam alteram cognovisset, deinde cum totum bellum confectum esset, reliquum scribere coeperit: quo tum modo putamus ei alteram partem aggrediendam fuisse. Nam aut facere poterat, ut prooemium operis prius compositi totius operis prooemium esse vellet, aut ut alteram partem novo prooemio ornaret. Si igitur illud voluisset, prooemium quod prius scripserat ita corrigendum erat, ut etiam toti bello videretur accommodatum esse. Nam cum hoc eos qui opus legerent, ita propensos reddere studuisset ut magnitudinem belli exponeret et aliis comparatis illustraret: quae de magnitudine prioris

belli dixerat, ei tanta videri non poterant, quanta de toto bello dicenda essent. Etenim quanto major atque gravior est altera belli pars priore. Si igitur quae a Thucydide in prooemio libri primi de magnitudine belli dicta sunt, sola de priore parte, quae pro posteriore fere parva erat, dicta essent: quanto altius haec posterior efferenda erat. Itaque Thucydides si voluisset prooemium prioris belli etiam totius esse, facere non poterat quin ei multa adderet. Hoc tamen eum non fecisse et Ullricus putat et omnes qui eum secuti arbitrantur scriptorem hoc prooemium scribentem prius bellum ante oculos habuisse.

Itaque alterum prooemium scribendum fuit, cum belli posteriorem partem narrare inciperet, quod quidem Ullricus quique eum sequuntur lib. V cap. 26 contineri putant. Sed ego ex his quaero, num hic locus, si cum primi libri prooemio comparatur, pro novo prooemio haberi possit. Quis sibi persuadere potest eundem scriptorem, qui eos qui opus legant priore prooemio ita sibi propensos reddat, ut magnitudinem belli quod scripturus est quocunque potest modo illustret, in altero nihil narrare de magnitudine belli multo gravioris quod scripturus est. Nonne in hoc altero multo pluribus verbis magnitudo belli posterioris efferenda erat seu bello priore comparato seu alio modo? Quod cum in prooemio altero quod vocant factum non esse videamus, facere non possumus, ut hoc pro vero prooemio posterioris belli habeamus.

Denique tertium argumentum videtur inesse in prooemiis, quo Ullrici sententia refellatur. Dicit enim, ut supra diximus, ea quae in prooemio altero a Thucydide de se narrentur, aptius in priore commemorari. Qua igitur de causa, si eum sequimur, putandum est eum in priore non narravisse h. e. cum posterius bellum scribere inciperet, in opus prius scriptum non inculcavisse. Quod quidem eo magis mirandum est, quod in lib. II duobus locis eum posteriore tempore aliquid addidisse Ullricus ipse vult atque quod ita facillime evitare poterat, quod Ullricus ei evenisse

dicit. Denn gerade durch die zwei Prooemien stellt sich jetzt das Werk von selbst und gegen die Absicht des Verfassers in zwei Theilen dar (pag. 126). Quod Thucydidi praeter voluntatem accidere potuisse ego mihi persuadere non possum. Nam ego arbitror, si quis scriptor etiam minus diligens quam Thucydides bellum scribere coepisset, deinde desiisset, quod nondum debellatum esse intellexisset, cum pergeret, horum duorum alterum facturum fuisse. Aut aperte dixisset se cum bellum scribere coepisset, alium fuisse belli finem putasse, post autem sententiam suam mutasse; aut in iis quae rebus prius a se narratis adderet, id egisset, ne quis suspicari posset se unquam aliter de belli fine sensisse. Atque hoc eum facillime perficere potuisse quis est qui neget. Thucydidem igitur videmus aliis locis (II 65, 5—13; 100, 2; IV 81, 2; 108, 4) hoc fecisse neque solum in eis quae nova scriberet, sed etiam in eis, quae in prius scripta inculcaret, significasse se semper duas belli partes pro uno habuisse. Quis igitur putet eum in altero quod vocant prooemio componendo tam stultum, ne dicam amentem fuisse, ut ipse hic aperiret, quod aliis locis quodam modo tegere studuit. Quare ego arbitror, si Thucydides prius prooemium scribens aliam de belli fine sententiam habuisset ac paucis annis post, eum non ubi ad novam partem belli transiret, id adjecturum fuisse quod, si posteriore tempore opus scribere coepisset, alio loco posuisset, sed eo eum haec inculcaturum fuisse, ubi suo loco dicta esse viderentur, h. e. in initium totius operis. Itaque ex eo quod scriptor in quinto libro denuo pauca de se dixit, nemo concludere potest, quod vult Ullricus, eum illo loco addere voluisse, quod prius omisisset, cum compertum nondum habuisset, sed alia causa quaeranda est, qua putemus scriptorem adductum esse, ut ita res narrandas disponeret. Atque hanc nullam esse, nisi quod in rebus narrandis quam maxime ordinem temporis sequi solitus sit, supra diximus.

Qui quidem mos cum ex aliis rebus tum ex eo cognoscitur quod res gestas κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας (II 1; V 26, 1)

narravit. Nam quamquam hoc ordine saepius ea quae inter se cohaerent distrahuntur, tamen eo uti maluit, quod ita facere poterat, ut rerum posteriore tempore gestarum nihil praesumeret. Deinde haec narrandi ratio in eo cernitur, quod ad res quas narrat illustrandas aut explicandas nunquam ea confert aut commemorat quae post gesta sunt. Quattuor autem loci (II 65; 100; IV 81; 108) quibus ab hac lege videtur discedere, tales sunt, ut non difficile sit cognoscere singulares esse causas, quibus adductus sit, quas quamquam praesto habemus, tamen longum est exponere.

Hoc igitur more videtur factum esse, ut in prooemio libri primi de aetate sua, de exsilio, de longitudine belli nihil diceret, in altero prooemio haec adderet. Nam longitudinem prius exponere noluit, quam priore bello narrato appareret, quae essent partes belli quibus illi XXVII anni efficerentur; exsilium autem non prius commemoravit, quam et ejus causam lib. IV 104; 106 narravisset atque ad ejus temporis res narrandas pervenisset, quo expulsus est, et scitu opus esset eis qui opus suum legerent. Denique de aetate sua non prius quicquam commemoravit, quam ii qui legerent scirent tanto spatio fuisse bellum, et eorum interesset scire se per bellum tam longum aetate robusta vixisse.

Haec habui de Ullrici sententia quae dicerem, quae quamvis acute sit excogitata, tamen tribus de causis rejicienda est. Primum IV 48, 5 vocabulo ὁ πόλεμος ὅδε prius bellum significari non potest, seu post totum bellum seu post priorem partem scriptum est. Sin autem hoc loco non potest, ne aliis quidem videtur fieri posse. Deinde si Ullricum sequeremur, ex duobus locis II 65 et 100 appareret Thucydidem opus prius scriptum relegisse, cum pergeret. Cum vero relegens locos illos ex quibus Ullricus argumenta sua hausit, non correxerit, hos nihil continere apparet, quae eis, quae posteriore tempore gesta sunt, repugnent. Cum autem tale quid non contineant, ne id quidem ex eis concludi potest eos scriptos esse, priusquam totum bellum con-

fectum esset, sed concedendum est eos etiam post totius belli finem scriptos esse posse. Tum alterum prooemium quod Ullricus vocat, nihil in se habet quo ejus sententia comprobetur. Immo veri dissimile non est scriptori, jam cum libri primi prooemium scriberet, in animo fuisse, ut illo loco pauca iis adderet, quae in initio operis de se atque opere suo dixisset. Quod si certum est, eum id prooemium quo totum opus incipitur, ante belli finem scribere non potuisse apparet.

Et quoniam Ullrici sententiam refellisse videmur, de iis quae allata sunt ab eis qui eum secuti sunt, non multum dicendum est. Nam nihil harum rerum est, quo quis adduci possit, ut Ullrici sententiam retineat. Quod autem Cwiklinskius putavit prooemium libri primi a Thucydide post totius belli finem operi prius scripto adjectum esse, multa quidem difficilia hac re mihi videtur ex Ullrici sententia removisse, tamen non tam probabilem eam reddidit, ut eam sequi possimus. Qui vero putant Thucydidem opus coeptum non prius interrupisse, quam ad finem belli prioris pervenisset, Ullrici sententiam non faciliorem sed difficiliorem ad comprobandum mihi videntur reddidisse. Nam recte arbitror Ullricum judicasse locos illos libri quarti (81, 2; 108, 4), qui nisi extremo bello scripti esse non possunt, ita cohaerere et cum eis quae antecedunt et cum eis quae sequuntur, ut posteriore tempore inculcati esse non possint. Si vero inculcati esse non possunt, totam illam operis partem, in qua inveniuntur, extremo bello vel potius post belli finem scriptam esse necesse est.

IV.

Ullrici sententiae primum ac maxime Classen repugnavit, qui veterem illam primum a Kruegero certis causis confirmatam, qua putatur Thucydides post totius belli finem opus scribere coepisse, ita comprobavit, ut aliter illos locos, quibus Ullricus pro argumentis suis usus est, interpretandos

esse doceat. Ac quamquam summae hujus sententiae assentior, tamen arbitror non recte eum fecisse, quod ad interpretandam IV 48, 5 a Diodoro in rebus Corcyraeorum narratis fidem abjudicavit. Hoc igitur loco quaeritur, quae sint discordiae civiles, quas scriptor ante oculos habuerit scribens ὅσα γε ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε. Atque Ullricus quidem aliique multi eas esse voluerunt, quas anno 410 fuisse Diodorus lib. XIII, 48 tradidit, quod quidem eo veri similius est, quod a nullo scriptore aliae discordiae Corcyraeorum commemorantur. Tamen ejus interpretationem hujus loci quaeque ex eo conclusit, comprobari non posse supra diximus. Classen autem putat Thucydidem in illis verbis vocabulo ὁ πόλεμος ὅδε significasse totum bellum XXVII annorum, et quod hoc ei non videtur conciliari posse cum eis quae Diodorus tradidit, ejus fidem nullam esse dicens arbitratur scriptorem hoc loco discordias civiles ante oculos habuisse, quae post finem totius belli factae sint, quarum nullam quidem memoriam accepimus. Refellit igitur quae a scriptore non quidem in omnibus rebus certissimo, certe tamen tradita sunt, iis quae a scriptore certissimo quidem, sed non certis verbis tradita sunt. Hoc autem haud facile fieri posse quis est qui neget. Alia igitur interpretatio hujus loci videtur quaerenda esse, qua et Diodori fidei et Thucydidis verbis satisfiat.

Talis num sit Herbstii interpretatio, quam in vol. XXXVII Philologi quem vocant, protulit, jam videamus. Is igitur putat Thucydidem opus suum post totius belli finem scribere coepisse. Ac quamquam incipienti singulae belli partes ita inter se cohaerere visae sint, ut eas pro uno habuerit, tamen verbis quae sunt II 1 ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν primam partem ita eum significasse ac notasse, ut eum a reliquis belli partibus hanc discernere voluisse cognoscamus. Atque hanc belli partem scriptorem in quattuor primis libris vocabulo ὁ πόλεμος ὅδε, totum autem bellum vocabulo ὅδε ὁ πόλεμος significasse. Quod vero haec belli pars, quam initio

lib. II scribere coeperit — nam non solum prooemium sed totum librum primum de toto bello scriptum esse putat —, per se ipsa magna ac gravis fuerit, scriptorem vitasse, ne in hac narranda eorum quae bello posteriore facta essent, rationem haberet. Quare factum esse, ut Ullricus putaret scriptorem, cum prius bellum scriberet, posterius nondum cognovisse.

At hanc Herbsti sententiam quattuor argumentis refelli arbitror. Primum putare non possumus Thucydidem verbis ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἀκηρυκτεί et eis qu. sequ., quae essent prioris belli propria, significare voluisse, ut hoc a reliquo discerneret. Nam hoc si voluisset, non imperfecto quod grammatici vocant (ἐπεμίγνυντο, ἐπολέμουν), sed aoristo utendum erat. Quis autem sibi persuadeat, quod primum nullis inter se commerciis sine caduceatore mixti sunt, deinde semel armis captis continenter bellaverunt — nam ita Herbstius haec verba interpretatur (pag. 508) — esse id, quo haec prior belli pars a reliquo differat. Atque Herbstius quidem id unum dicit, hac re differre hanc belli partem ab eo tempore quod pacem Niciae secutum sit, reliquum autem belli tempus neglegit. At ego: cum de tertia belli parte — ne dicam cum Schoenio in Bursiani annalibus vol. III pag. 831 de unoquoque bello, — idem dici possit, quod de prima, utrosque non sine caduceatoribus mixtos esse et continenter bellavisse: num quis putare possit scriptorem hac re pro discrimine usum esse, quo primam belli partem a reliquo sejungeret?

Deinde hoc contra Herbstium dico: Quem alium scriptorem videmus discernere ὁ πόλεμος ὅδε et ὅδε ὁ πόλεμος aut similia. Si igitur Thucydides fecisset, nonne aequum fuit eos qui opus lecturi essent, ab eo doceri quid interesset inter haec duo. Nonne enim is qui Thucydidis opus ita legit, ut singulos locos, quibus Thucydidis hoc pronomen cum illo substantivo conjunctum usurpavit, non inter se comparet, perverse rem intellegere potest, ut arbitretur ὁ πόλεμος ὅδε esse totum bellum XXVII annorum? Si igitur Thucy-

dides hoc discrimen, quod ne Attici quidem, nisi ab eo docebantur, suspicari poterant, statuisset, consentaneum erat eum in prooemio prioris belli partis hoc significare, sive ita ut scriberet *ἄρχεται ἐνθένδε ὁ πόλεμος ὅδε* et qu. sequ , sive modo etiam magis perspicuo. Quod cum eum non fecisse videamus, ne id quidem putare possumus Thucydidem ita inter se discrevisse *ὁ πόλεμος ὅδε* et *ὅδε ὁ πόλεμος*.

Accedit quod *ὁ πόλεμος ὅδε*, quo Herbstius priorem belli partem significatam esse putat, non solum in narratione hujus invenitur, sed etiam in narratione tertiae belli partis, ubi Herbstius hanc ipsam significatam esse putat. Cum vero scriptor hanc nusquam a reliquo bello sejunxerit, sed belli annis per omnes belli partes uno ordine numeratis ostenderit se velle totum bellum pro uno haberi, quis sibi persuadere potest, si in tertia belli parte *ὁ πόλεμος ὅδε* commemoretur, eum significare hanc tertiam partem?

Tertium argumentum quo Herbstium refellimus, id est quod Thucydidem omnibus locis, quibus res uno anno gestas concludit, si pronomen addit, formula utitur *ἐτελεύτα ἔτος τοῦ πολέμου τοῦδε* sive *τῷ πολέμῳ τῷδε ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν*. Si igitur recte judicasset Herbstius Thucydidem vocabulis *ὁ πόλεμος ὅδε* significasse singulas trium belli partium, vocabulo *ὅδε ὁ πόλεμος* totum bellum, quis dubitet quin in numerandis annis, qui per t o t u m bellum uno ordine numerantur, vocabulum *ὅδε ὁ πόλεμος* ac non *ὁ πόλεμος ὅδε* usurpaturus fuerit. Quod cum non fecerit sed s e m p e r altera formula utatur, Herbstium non recte discrevisse *ὁ πόλεμος ὅδε* et *ὅδε ὁ πόλεμος* putandum est. Quartum id Herbstio concedere non possum, quod dicit Thucydidem belli primam partem scribentem propterea belli posteriorum temporum non habuisse rationem, quod haec satis gravis ac digna ei visa sit, quae pro uno bello haberetur et per se reliqui belli ratione non habita tractaretur. Nonne enim est absurdum putare scriptorem, qui in libro primo de t o t o bello agat, ejus magnitudinem cum aliorum bellorum magnitudine comparet, mala quae inter t o t u m bellum in Graecos inciderint, enumeret

itemque portenta a deis missa — nam de toto bello Herbstius haec dicta esse vult —, eundem in enarranda priore parte posterioris belli nullam habere rationem et ita eam tractare, quasi unum fuerit a reliquo bello diversum. Quae cum ita sint, Herbstium sequi non possum putantem a scriptore totum opus post finem belli compositum esse, sed in prioris belli narratione posterioris eum rationem habere noluisse.

V.

Tamen eis quae Herbstius de tota quaestione disputavit, plurimum mihi videtur profuisse ad verum reperiendum, praesertim iis quae de discrimine quod sit inter *ὁ πόλεμοε ὅδε* et *ὅδε ὁ πόλεμος*, disputavit. Nam esse aliquod is negare non potest, qui locos comparat quibus Thucydides hoc pronomen usurpavit. Nam in primo libro, in quo bellum ipsum narrare nondum coepit, nunquam invenitur *ὁ πόλεμος ὅδε* sed undecies *ὅδε ὁ πόλεμος*, deinde narrationem eorum, quae singulis annis gesta sunt, si addit pronomen, ita concludere solet, ut utatur formula *ὁ πόλεμος ὅδε*. Neque enim omnibus locis addit pronomen neque iisdem verbis ubique concludit, ut facile cognoscas Thucydidem in his quidem rebus varietate usum esse, sed locum et ordinem quo pronomen posuerit, semper servasse.

Quid autem intersit inter *ὅδε ὁ πόλεμος* et *ὁ πόλεμος ὅδε*, ita videamus, ut ex loco ordiamur quo Thucydides ipse videtur demonstrasse, quid vocabulo *ὁ πόλεμος ὅδε* significaverit. Lib. enim III 54, 2 sunt haec: *φαμὲν γὰρ πρὸς τὸ ἐρώτημα τὸ βραχύ, εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἀγαθὸν πεποιήκαμεν, . . . οὐκ ἀδικεῖσθαι ὑμᾶς μὴ εὖ παθόντας.* Quid hoc loco sibi velit *ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε*, ex scriptoris ipsius verbis cognoscimus, quae sunt paulo ante in cap. 52, 4: *ἠρώτων δὲ αὐτούς . . . εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐν τῷ πολέμῳ τῷ καθεστῶτι ἀγαθὸν εἰργασμένοι εἰσίν.* Apparet igitur eundem esse *τὸν πόλεμον*

τόνδε quem τὸν πόλεμον τὸν καθεστῶτα. Qui vero sit ὁ πόλεμος ὁ καθεστώς, nemini dubium esse potest. Nam quamquam plerumque vertitur „praesens bellum“, tamen si diligentius et vim verbi καθεστάναι respexeris et nexum sententiarum, in quo singulis locis invenitur, tecum reputaveris, facere non poteris quin vertas „bellum quod huc usque gestum est atque etiam nunc geritur.“ Neque enim prorsus interiit in verbo καθεστάναι vis perfecti quod grammatici vocant, ut paulum certe intersit inter participium ὤν, quod significat eum qui est, et καθεστώς, quod significat eum qui factus est.

Itaque eo loco quo scriptor narrat Lacedaemonios ex Plataeensibus quaesivisse, num se ἐν τῷ πολ. τῷ καθεστῶτι ullo beneficio affecissent, bellum quod usque eo gestum erat, significatum esse patet (III 52, 4). Cum autem ὁ πόλεμος ὅδε, quod paulo post cap. 54, 2 invenitur, idem sit quod ὁ πολ. ὁ καθεστώς, ut supra demonstravimus, ne hoc quidem vocabulo aliud quid significatum esse potest ac „bellum quod usque eo gestum est“. Hanc autem significationem optime convenire sententiae quae est in hoc loco, quis est qui neget. At quaerendum est, num etiam aliis locis, quibus eadem formula ὁ πόλεμος ὅδε invenitur, ejus significatio eadem esse possit.

Primum igitur, si nunc quidem eos locos omittimus quibus singulorum annorum res gestae concluduntur, haec formula invenitur lib. III 11, 6 ubi legati Mytilenaeorum dicunt se diutius libertatem suam ab Atheniensibus tuituros non fuisse, nisi ὁ πόλεμος ὅδε intervenisset. Putant igitur Mytilenaei Athenienses bello usque eo gesto impeditos esse, quominus se aggrederentur. Nam melius eum illud ὁ πόλεμος ὅδε interpretari, qui putat bellum usque eo gestum significari, quam qui totum, quis est quin intellegat.

III 98, 4 sunt haec: οὗτοι βέλτιστοι δὴ ἄνδρες ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἐκ τῆς Ἀθηναίων πόλεως διεφθάρησαν. Hoc loco formula „ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε“ totum bellum significari non posse Herbstius recte mihi videtur demonstrasse (cf. pag. 520).

Nam qui tum in Aetolia ex numero trecentorum militum classiariorum (III 95, 2) ceciderunt, centum erant et viginti. Quanto autem major erat numerus eorum, qui posteriore tempore in Siciliam missi maximam partem interierunt. Ac ne hos quidem ignobiles fuisse ex eo cognoscimus quod scriptor de iis dicit VI 31, 3: *τὸ δὲ πεζὸν καταλόγοις χρηστοῖς ἐκκριθέν.*

Itaque veri simile est in hoc numero plures quam CXX nobiles fuisse, qui interierint. Hoc autem si certum est, putare non possumus Thucydidem III 98, 4 vocabulo *ὁ πόλεμος ὅδε* totum bellum significasse, sed posterius bellum, quo classis in Siciliam missa est, videtur exclusisse et centum illos et viginti viros cum eis solis comparavisse, qui ante eos bello perierant. Quare apparet hoc loco vocabulo *ὁ πόλεμος ὅδε* nisi bellum usque eo gestum nihil significatum esse posse.

Similis est locus III 113, 6 ubi sunt, haec: *πάθος γὰρ τοῦτο μιᾷ πόλει Ἑλληνίδι ἐν ἴσαις ἡμέραις μέγιστον δὴ τῶν κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε ἐγένετο.* Haec verba scribenti videtur scriptori ante oculos obversata esse calamitas qua posteriore bello alia urbs Graeca paucis diebus oppressa est. Hoc autem eo veri similius est, quod scriptor haud dissimiliter de calamitate urbis Mycalessi dicit VII 29, 5: *καὶ ξυμφορὰ τῇ πόλει πάσῃ οὐδεμιᾶς ἥσσων μᾶλλον ἑτέρας ἀδόκητός τε ἐπέπεσεν αὕτη καὶ δεινή.* Hujus igitur videtur rationem habuisse illo loco, quo calamitatem Ambraciotarum narrat, III 113, 6 Itaque aptius videtur putare scriptorem ibi formula *κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* significasse non totum bellum, sed id quod usque eo gestum erat.

IV 48, 5 sunt haec: *καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο, ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε.* Hic locus quantas interpretandi difficultates attulerit et Ullrico et Classenio, supra demonstravimus. Sed quae restat, si putamus bellum usque eo gestum significatum esse? Tum haec est sententia: hic erat exitus Corcyraeorum discordiarum non omnium quidem, sed earum quae in eo bello factae sunt, quod huc usque gestum est sive quod huc usque narravi. Ita igitur

videtur significasse in eodem bello quod scripturus est, postea novas discordias civiles factas esse. Atque has quidem eas esse, quas Diodorus (XIII 48) anno 410 fuisse tradidit, quis est quin neget. Itaque sic hunc locum interpretantes neque egemus Ullrici interpretatione haud facili neque oportet cum Classenio a Diodoro fidem abjudicemus

V 20, 3 sunt haec: εὑρήσει . . . δέκα μὲν θέρη ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους. Hoc igitur loco, quo Thucydides decem annos belli respicit, quos usque eo narravit, eodem ordine quo reliquis locis, quibus praeteritam belli partem commemorat, videmus pronomen ὅδε post substantivum eum prosuisse. Itaque ex hoc loco idem concludendum est quod ex III 54, 2 formulam ὁ πόλεμος ὅδε significare eam belli partem quae usque eo gesta sive narrata est.

Atque hoc duobus alliis locis confirmatur. Lib. enim V 20, 1, ubi decimum belli annum narrans initium belli commemorat, dicit τὴν ἀρχὴν τοῦ πολέμου τοῦδε. Lib. autem I 118, 2, ubi scriptor initium belli quod narrare sibi proposuit, commemorat, dicit τὴν ἀρχὴν τοῦδε τοῦ πολέμου. Praeterea duobus locis libri primi, quibus finis totius belli commemoratur, initium autem nondum narratum est, formulam usurpatam invenimus τελευτῇ τοῦδε τοῦ πολέμου (I 13, 3; 18, 1) non τοῦ πολέμου τοῦδε. Sed de hac re paulo infra accuratius agendum erit.

Non aliter ac V 20, 1 Thucydides IV 133, 3 dicit Chrysim sacerdotem octo annos nonique dimidium τοῦ πολέμου τοῦδε vixisse, ubi totum bellum intellegi illud quidem posse non nego, sed rectius dico id intellegi quod usque eo descripserat.

Aliud argumentum ad confirmandam nostram sententiam contineter verbis, quibus scriptor res singulis annis gestas concludere solet. Atque haec eo magis valent, quod ex eorum varietate cognoscas scriptorem non formula semel constituta usum esse sed singulorum annorum rebus gestis verba sua accommodasse. Neque enim quisquam dicere potest fortuito esse factum, ut scriptor, ubi narraret, quae

post Niciae pacem usque ad expeditionem Siciliensem (ab a. 11 usque ad 15 belli) gesta essent, horum annorum finibus notatis nomen suum non adderet. Sed ea videtur causa fuisse, quod res his annis gestae ei leviores visae sunt, quam ut necessarium videretur ad fidem eorum quae de iis narraverat, confirmandam nomen suum addere; nam hac de causa plerumque videtur addidisse. Ut vero rebus anni octavi narratis nomen non adderet, sed ita concluderet (IV 116, 3) ὄγδοον ἔτος ἐτελεύτα τῷ πολέμῳ non harum parvo momento videtur factum esse, sed quod in mediis his narrandis nomen suum (IV 104, 4) commemoravit. Reliquis autem locis[9]) quibus res singulis annis gestis concludit, pronomen ὅδε post substantivum πόλεμος posuit neque dubium est, quin propterea ab hoc ordine nunquam discesserit, quod illis verbis bellum usque eo narratum significavit. Neque enim quisquam dicere potest propterea eum hoc ordine usum esse, quod verbis ita collocatis pronomen relativum, quod illud ὁ πόλεμος ὅδε plerumque sequitur (ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν) melius adjungere potuerit. Nam etiam eo loco, quo pronomen relativum non sequitur, idem ordo verborum invenitur. Lib. enim II 47, 1 sunt haec: πρῶτον ἔτος τοῦ πολέμου τοῦδε ἐτελεύτα. Nomen autem suum scriptor hoc loco eadem de causa non addidit qua II 1, quod ex iis quae in prooemio libroque primo de se dixerat, satis se cognitum esse iis qui opus legerent, putabat.

Fortasse dixerit quispiam ea quae adhuc de significatione vocabulorum ὁ πόλεμος ὅδε disputaverimus, refutari loco quem unum ex eis quibus hic ordo verborum invenitur, videmus omisisse. Lib. enim VII 87, 5 ubi sunt haec de expeditione Siciliensi: ξυνέβη τε ἔργον τοῦτο Ἑλληνικὸν τῶν κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε μέγιστον γενέσθαι vocabulo κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε non bellum usque eo gestum sed totum significari. Nam consentaneum esse Thucydidem rem totius

---

9) II 47, 1; 70, 5; 103, 2; III 25, 2; 88, 4; 116, 3; IV 51, 2; 135, 2; VI 7, 4; 93, 4; VII 18, 4; VIII 6, 5; 60, 3.

belli fere gravissimam comparare cum omnibus quae toto bello gesta sint. At qui diligentius locos consideraverit, ubi scriptor magnitudinem et gravitatem rerum bello gestarum inter se comparat, sibi persuadebit semper cum eis eum comparare, quae antecedunt quaeque ipse jam narravit, non cum eis quae narraturus est. Quare scriptorem etiam hoc loco arbitror ex more suo fecisse quod expeditionem Siciliensem primum cum rebus in bello usque eo gestis, deinde cum omnibus a Graecis gestis comparavit.[10]) Itaque tantum abest, ut hic locus in se habeat quo sententia nostra de significatione vocabuli *ὁ πόλεμος ὅδε* refellatur, ut etiam valeat ad eam confirmandam.

Tamen non prius omnis dubitatio erit remota, quam demonstraverimus Thucydidem significationem *ὅδε ὁ πόλεμος* nunquam eadem sententia usurpasse qua *ὁ πόλεμος ὅδε*, sed hac significasse totum bellum, quod scripturus fuerit. Septendecim autem locis hoc ordine vocabulorum usus est, quorum quidem XI in libro primo inveniuntur, in quo cum nullam belli ipsius partem narravisset, ne verbis quidem *ὁ πόλεμος ὅδε*, quibus partem belli significavit, uti poterat. Hi autem sunt loci I 24, 5 *πρὸ τοῦδε τοῦ πολ*;

97, 1 *μεταξὺ τοῦδε τοῦ πολ. καὶ τοῦ Μηδικοῦ;*
18, 3 *ἐς τόνδε τὸν πολ.;*
118, 2 *ἀρχὴ τοῦδε τοῦ πολ.;*
8, 1 *ἐν τῷδε τῷ πολ.;*
23, 3 *μετὰ τοῦδε τοῦ πολ.;*
13, 3 *ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολ.;*
18, 1 *ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολ.;*

---

[10]) Propter hunc Thucydidis comparandi usum Dobraeus et Kruegerus mihi videntur haud recte fecisse, quod VII 85, 4 in verbis *πλεῖστος γὰρ δὴ φόνος οὗτος καὶ οὐδενὸς ἐλάσσων τῶν ἐν τῷ Σικελικῷ πολέμῳ τούτῳ ἐγένετο* adjectivum *Σικελικῷ* delendum esse censuerunt. Nam hoc mihi videtur scriptor ea potissimum de causa addidisse, ut tempus quod bellum Siciliense secutum est, a comparatione excluderet. Sed fortasse alio loco diligentius comparationes, quibus Thucydides usus est, tractabimus.

118, 1 πρόφασις τοῦδε τοῦ πολ.;
19, 1 παρασκευὴ ἐς τόνδε τὸν πόλ.;
118, 3 ἀραμένοις τόνδε τὸν πόλ.

Ne autem quis putet temere esse factum, ut scriptor in primo libro semper ὅδε ὁ πόλ. nunquam ὁ πόλ. ὅδε usurparet, ex reliquis libris, in quibus plerumque ὁ πόλ. ὅδε invenire demonstravimus, exempla afferemus, ex quibus appareat scriptorem toto opere, ubi totum bellum significaverit, formula ὅδε ὁ πόλ. usum esse. Lib. igitur II 16, 1 est: μέχρι τοῦδε τοῦ πολ. 21, 1 πρὸ τοῦδε τοῦ πολ. Longe autem gravissimus locus est 34, 1 ubi sunt: ταφὰς ἐποιήσαντο τῶν ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρῶτον ἀποθανόντων. Thucydidem hoc loco totum bellum significasse uno vocabulo πρῶτον satis comprobatur. Nam si putaremus formula ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ bellum usque eo gestum significatum esse, scriptor dicere non poterat τῶν ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρῶτον ἀποθανόντων, sed πρῶτον omittendum erat. Non enim ei tum sepulti sunt, qui in bello usque eo gesto primum ceciderant, sed omnes usque eo interfecti, qui quidem primi erant eorum qui toto bello interierunt. Ita igitur haec verba sunt interpretanda: eadem hieme Athenienses patrio instituto publice humarunt eos qui in hoc bello, quod narraturus sum, primum mortem obierant.

Non minus perspicue totum bellum videtur significatum esse VII 44, 1 ubi sunt haec: ἐν δὲ νυκτομαχίᾳ, ἣ μόνη δὴ στρατοπέδων μεγάλων ἔν γε τῷδε τῷ πολέμῳ ἐγένετο, πῶς ἄν τις σαφῶς τι ᾔδει; et 56, 4 ubi sunt haec: . . . πλήν γε δὴ τοῦ ξύμπαντος λόγου τοῦ ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρὸς τὴν Ἀθηναίων τε πόλιν καὶ Λακεδαιμονίων. Quominus igitur putemus priore loco bellum usque eo gestum significatum esse, impedimur sententia, quae si hanc interpretationem acciperemus, nasceretur. Nam videretur scriptor aliud memoria tenuisse proelium nocturnum, quod post illud ad Syracusas factum commissum esset, quod tamen non potuit. Nam nullum aliud hujus generis proelium inter magnos exercitus bello Peloponnesiaco factum esse constat. Posteriore autem

loco VII 56, 4 si Thucydidis verba de bello quod usque eo gestum erat, dicta essent, ineptiora essent, quam ut de toto bello intellegere non malles.

Cum igitur his omnibus locis constet Thucydidem formula ὅδε ὁ πόλ. totum bellum significasse, uno videtur hoc refelli. Lib. enim VI 17, 5 sunt haec: ἀλλὰ μέγιστον δὴ αὐτοὺς ἐψευσμένη ἡ Ἑλλὰς μόλις ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ ἱκανῶς ὡπλίσθη. Haec igitur sunt verba Alcibiadis quae fecit anno XVI belli, cum Athenienses adhortaretur, ut classem in Siciliam mitterent. Hoc loco totum bellum XXVII annorum significatum esse non posse apparet. Ac ne hoc quidem quisquam dicere potest. Thucydidem hoc loco a discrimine quod alias inter ὁ πόλ. ὅδε et ὅδε ὁ πόλ. fecerit, discessisse, cum Alcibiadem loquentem fecerit. Si vero nobiscum reputamus Alcibiadem haec verba fecisse, cum prius bellum pace Niciae confectum, novum nondum ortum esset, consentaneum est putare scriptorem propterea Alcibiadem formulam τόνδε τὸν πόλεμον usurpantem fecisse, quod bellum quod tum respexit, revera totum aliquod hoc est confectum erat. Atque haec si causa fuit, hic locus non repugnat eis quae supra de discrimine quod sit inter ὅδε ὁ πόλ. et ὁ πόλ. ὅδε, diximus significare ὅδε ὁ πόλ. totum bellum, ὁ πόλ. ὅδε belli quandam partem. Per se autem patet totum bellum si suis verbis scriptor dicat, esse id, quod scripturus fuerit, si alios dicentes faciat, esse id quod illi tum jure pro toto habuerint.

Et quoniam iis exemplis quae protulimus, satis docuimus scriptorem accuratissime discernere ὁ πόλ. ὅδε et ὅδε ὁ πόλ., nunc quaerendum est, num hoc discrimen cum ratione factum sit. Nam nisi hanc in eo inesse docuerimus, sententia nostra non minus rejicienda erit quam Herbsti sententia, cujus nullam esse rationem supra demonstravimus. Primum igitur si pronomen ante substantivum ponitur, videtur significari id quod sequatur, discernendum esse ab eis quae eodem vocabulo significari soleant, sive a rebus ejusdem generis. Si igitur pronomen ὅδε in priore loco ponitur, bellum Peloponnesiacum discernitur ab aliis. Sin autem rem unam

discernimus a reliquis, hanc totam discerni consentaneum est, atque ita videtur factum esse, ut hoc ordine verborum: *ὅδε ὁ πόλ.* totum bellum significaretur.

Sin autem pronomen *ὅδε* post substantivum positum est, eam habet vim, ut rem quae substantivo illo significatur, in memoriam revocet. Cum igitur substantivo *πόλεμος* ita additur *ὅδε*, aliud bellum significari non potest nisi id quod scriptor in eis quae antecedunt, nobis narravit. Quia autem hoc nondum confectum est, fit ut pars belli significetur. Ubi vero scriptor eos qui publice verba faciunt, hoc ordine pronomen cum substantivo conjunctum usurpantes facit, hi et ipsi in memoriam revocare volunt rem quam ipsi quidem non narraverunt, sed ii qui audiunt, ad reminiscendum praesto habent, cum ipsi experti sint.

Ne quis vero credat Thucydidem, ne dicam me ipsum, hoc discrimen finxisse, duo proferam exempla ex litteris publicis quas ipse nobis tradidit, petita. Lib. igitur IV 118, 12 sunt haec: *καὶ ὡμολόγησαν ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἐκεχειρίαν εἶναι ἐνιαυτόν, ἄρχειν δε τήνδε τὴν ἡμέραν τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνός.* Lib. autem V 18, 9 sunt haec: *ὁ δ'ὅρκος ἔστω ὅδε „Ἐμμενῶ ταῖς ξυνθήκαις καὶ ταῖς σπονδαῖς ταῖσδε δικαίως καὶ ἀδόλως“.* Hoc loco quin *ταῖς σπονδαῖς ταῖσδε* eae significentur *σπονδαί* quae in eis quae antecedunt, expositae sunt, nemo dubitat. Praeterea ex scriptoris ipsius verbis haec proferam exempla. II 68, 9 praeparat expeditionem Ambraciotarum, quam a cap. 80 narrare incipit, his verbis: *ὕστερον δὲ ἐν τῷ πολέμῳ τήνδε τὴν στρατείαν ποιοῦνται.* Eodem autem libro cap. 34, 8 haec sunt: *ἐπὶ δ'οὖν τοῖς πρώτοις τοῖσδε Περικλῆς ὁ Ξανθίππου ᾑρέθη λέγειν.* Quibus verbis scriptorem mentes legentium reducere ad ea quae § 1 dixit: *ταφὰς ἐποιήσαντο τῶν ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρῶτον ἀποθανόντων*, per se patet. Alia exempla his similia inveniuntur III 13, 4 *ἐν τῷ θέρει τῷδε* VIII 99 *ἐν τῷ αὐτῷ θέρει τῷδε* II 102, 1 *τοῦδε τοῦ χειμῶνος* IV 10, 1 *τοῦδε τοῦ κινδύνου* II 12, 3 *ἥδε ἡ ἡμέρα* V 9, 9 *τῇδε τῇ ἡμέρᾳ.* Non temere ex hoc numero ea exclusimus exempla, in quibus substantivo

cum pronomine ὅδε conjuncto articulus quem vocant grammatici, additus non est. Quam autem sint rara exempla, in quibus Thucydides substantivo cum articulo conjuncto pronomen addiderit, ex eo concludas, quod cum multa tum haec ab eo nunquam ita conjunguntur: ἐσβολή, ἔτος, ἐνιαυτός, σπονδαί, ἀνακωχή, ἐκεχειρία, χρόνος, ἔαρ, ὥρα, μάχη, ναυμαχία, νύξ, ἡλικία, στάσις, ἀπόστασις, καιρός, στόλος, νίκη, πρᾶγμα, πρᾶξις, ἀγών, ἀνάγκη, ἀπορία, ἔργον, ἀπόβασις.

Nunc quaerendum est, quid Thuc., cum singulos libros scriberet, pro toto bello (ὅδε ὁ πόλ.) habuerit. Atque ei quidem qui Ullricum sequuntur, putabunt eum tres primos quartique dimidium scribentem bellum X annorum pro toto habuisse, deinde sententia mutata vocabulo ὅδε ὁ πόλ. illud XXVII annorum significasse. Itaque idem ὅδε ὁ πόλ. in eis quae sunt ab I 1 usque ad IV 48, significare bellum decem annorum, in reliquo opere illud XXVII annorum. Hoc veri simile non esse quis est qui neget. Nam primum libri primi maximeque prooemii loci, quibus bellum totum (ὅδε ὁ πόλ.) commemoratur ei sunt, ut supra demonstravimus, quibus difficile sit putare scriptorem tam multa et tam magna de bello X annorum dixisse. Deinde nullus invenitur terminus, ad quem quis putare possit scriptorem bellum X annorum vocabulo ὅδε ὁ πόλ. significasse et a quo coeperit bellum XXVII annorum ita significare. Lib. enim IV 48, 5 hic terminus esse non potest, quamquam Ullricus eum esse putavit. Nam hoc loco non de toto bello sive X sive XXVII annorum agitur, sed de bello usque eo gesto, ut supra demonstravimus (pag. 29 infr.). Hoc autem si certum est, ne id quidem Ullrico concedere possumus illa verba ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε a scriptore, cum opus relegeret, inculcata esse, cum praesertim et cum eis quae antecedunt, et cum eis quae sequuntur artius cohaereant, quam ut veri simile sit ea alio tempore atque haec scripta esse. Cum autem propter res quae eis videnter commemorari, ante annum 410 a. Chr. n. scripta esse non possint, concludendum est totam eam libri quarti partem in qua inveniuntur, post a. 410 scriptam

esse. Itaque eis qui Ullricum sequuntur, ita sententia mutanda est, ut putent, etiam priusquam scriptor IV 48, 5 scriberet, eum opus post Niciae pacem coeptum intermisisse. Sed ne usque ad initium quidem libri IV putare possumus eum opus deduxisse, priusquam intermitteret. Nam etiam lib. III 98, 4 [11]) videtur scriptor posteriorum belli temporum rationem habuisse, cum addito illo *ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε* (bello usque eo gesto) eos a comparatione excluderet, qui bello Siciliensi perierant, ut supra pag. 29 demonstravimus. Quare iis qui Ullricum sequuntur, putandum est Thucydidem priusquam ad hunc locum pervenit, opus suum intermisisse. Cum autem iisdem [12]) in lib. III 87, 2 in verbis quae de pestilentia Atheniensium dicuntur *ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅ τι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν*, inesse videatur certissimum argumentum, quo comprobetur Thucydidem hunc locum ante expeditionem Siciliensem scripsisse, his putandum est loco aliquo qui sit inter cap. 87 et 97, scriptorem opus coeptum intermisisse. Ac ne hoc quidem facile putare possunt. Nam si ibi intermisisset, nonne veri simile est eum opus pergentem saltem finem eorum, quae prius scripsisset perlecturum, et si tum non recte illud de pestilentia dici visum esset, correcturum fuisse. Nam quis opus in quod tantum conferat studium, quantum Thucydides contulit, si per decem annos intermissum est, recte pergere potest, nisi perlegit ea quibus prius narrata conclusit. Itaque putandum est hos duos locos libri III cap. 87 et 98 nihil in se habere, quod tam sit alterum ab altero diversum, ut concludas diversis temporibus eos scriptos esse. Sin autem diversis temporibus scripta non sunt, ne terminus quidem ad quem scriptor opus primum inceptum deduxerit, priusquam intermitteret, inter eos esse potest.

---

[11]) *οὗτοι βέλτιστοι δὴ ἄνδρες ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἐκ τῆς Ἀθηναίων πόλεως διεφθάρησαν.*

[12]) cf. Leskium in progr. Liegnitziensi a. 1875 pag. 17. Schoenium l. c. pag. 832.

Atqui priore loco quam III 87, 2 hic terminus esse non potest, cum hic locus id contineat argumentum quod Ullrico eisque qui eum sequuntur,, gravissimum fere omnium videtur esse, quo comprobent priorem belli partem prius quam alteram a Thucydide conscriptam esse. Quare nullum omnino arbitror esse locum ad quem quis dicere possit Thucydidem opus primum coeptum deductum habuisse, cum sententiam de longitudine totius belli mutaverit et opus intermiserit. Itaque ne intermisisse quidem eum apparet, sed cum opus scribere inciperet, totum bellum XXVII annorum ante oculos habuisse, quod ab initio vocabulo *ὅδε ὁ πόλ.* significaverit.

His igitur causis Thucydidem opus suum post finem totius belli 27 annorum scribere coepisse satis mihi videor demonstrasse atque Classeni sententiam haud paulum confirmasse. Nam quod in hac difficillimum erat, ut cum Diodori fide et auctoritate conciliari non posset, eis removimus quae de IV 48, 5 et de discrimine quod sit inter *ὅδε ὁ πόλ.* et *ὁ πόλ. ὅδε*, disputavimus. Quare nihil arbitror reliquum esse, quo quis prohibeatur huic assentiri, praesertim cum meminerit, quantas Ullrici sententia in se habeat difficultates.

VI.

Jam igitur loci mihi tractandi sunt ex quibus Ullricus argumenta ad sententiam suam comprobandam petivit, et demonstrandum est eos, ut sint scripti, a scriptore scribi potuisse, etiamsi totum bellum 27 annorum ante oculos haberet. Tamen non omnia ea repetam, quae a Classenio aliisque contra Ullricum disputata sunt, praesertim cum multa eorum quae ab Ullrico dicta sunt, etiam ab eis sint rejecta, qui ei plerumque assensi sunt.

II 1 sunt haec: *ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη Ἀθηναίων καὶ Πελοποννησίων καὶ τῶν ἑκατέροις ξυμμάχων, ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν.* His postremis verbis Thucydidem quae totius

belli XXVII annorum propria essent, non significasse recte mihi videtur Ullricus animadvertisse. Nam per hos annos bellum ξυνεχῶς gestum esse nemo dicere potest, praesertim cum scriptor ipse in eis quae sunt V 26, 3, id tempus quo continenter bellum gesserunt, disjungat ab eo, quo pace non quidem certa usi sunt. Tamen non recte Ullricus ex hac re conclusit scriptorem haec verba scribentem totum bellum XXVII annorum nondum cognitum habuisse. Apparet enim ex particula ἔτι quae est in illis verbis, scriptorem hoc bellum cum prioribus temporibus tum eis bellis Atheniensium et Peloponnesiorum opposuisse, quae prius gesta erant, a quibus quidem eo differebat quod tum primum neque ullis inter se commerciis sine caduceatore misceri et bellum quod susceperant, persequi coeperunt. Nam etiam prius hae gentes bella inter se gesserant, quae quidem scriptor in libro primo narravit, sed horum nullum diutius persecuti erant (ξυνεχῶς). Putat igitur scriptor novi belli quod scripturus est, initium ab eo tempore ducendum esse quo aliter ac prius bellum gerere coeperunt, atque hanc ob causam illud de commerciis et de bello continenter gesto commemorat. Nam ejus consilium fuisse, ut in initio libri II terminum constitueret, a quo bellum gestum esset, etiam ex initio capitis II cognoscas, ubi variis modis annum significat, quo Plataeae a Thebanis oppressae sunt.

Alterum ex quo cognoscas nisi de initio belli de nulla re Thucydidem illud: ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους et qu. sequ. dixisse, id est quod verba ἐπεμίγνυντο et ἐπολέμουν in imperfecto quod vocant grammatici, posuit. Nam primum constat Thucydidem hanc verbi formam saepius ita usurpasse, ut significaret, quid quis facere coepisset (II 5, 1 ἐπεβοήθουν; 4, 1 ἀπεωθοῦντο; III 24, 3 ἐσπένδοντο; IV 76, 3 ἐνεδίδοσαν), deinde eis locis, quibus de re aliqua loquitur, quae non solum coepta sed etiam ad finem perducta est sive quae per t o t u m quoddam temporis spatium fuit, plerumque uti aoristo quem grammatici vocant (III 87, 2 ἐκάκωσε; II 57, 2 ἔ μ ε ι ν α ν, ἔ τ ε μ ο ν, qui quidem locus similli-

mus est ei de quo agitur; III 67, 2 *ἐγένετο;* 113, 6 *ἐγένετο*). Cum igitur certum sit scriptorem nisi de initio belli de nulla re illa verba *ἐπεμίγνυντο* et *ξυνεχῶς ἐπολέμουν* dixisse, Ullrico concedendum non est eum haec scribentem totum nondum cognovisse. Immo ita judicandum est: si scriptor tum nondum cognovisset bellum XXVII annorum et bellum tantum X annorum pro toto habuisset, quod scripturus esset, in eis quae, ut sunt ejus verba, de priore belli parte dixit, non imperfecto quod vocant grammatici, eum usurum fuisse sed aoristo, quandoquidem in hoc continenter bellari non solum coeptum sed per t o t u m b e l l u m perrectum est (V 24, 2). Quare ex eo quod scriptor in his verbis imperfecto usus significavit Athenienses et Peloponnesios id quod i n i t i o belli fecerint — *οὐκ ἐπεμίγνυντο* et *ξυνεχῶς ἐπολέμουν* — n o n t o t o bello fecisse, mihi videtur concludendum esse scriptori haec scribenti etiam ea belli tempora cognita fuisse, quibus bellum intermiserint, quae quidem pacem Niciae secuta sunt. Cum autem hi anni, quibus erant illae *ὀνόματι σπονδαί* (VI 10, 2), a nullo pro belli Peloponnesiaci temporibus haberi possent, nisi qui bellum in Sicilia gestum quaeque hoc secuta essent, cognovisset, putandum est Thucydidi illa verba scribenti etiam hoc bellum cognitum fuisse. Quare fit, ut totum bellum eum cognitum habuisse putemus, cum librum alterum scribere inciperet.

Atque hoc minime eis labefactatur quae sunt V 24, 2 *ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος γέγραπται.* Quid significet *ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γένομενος,* facillime intellegas, si compares lib. I 96, 2 *ὁ πρῶτος φόρος ταχθείς.* Ut enim hoc loco *ὁ πρῶτος φόρος ταχθείς* oppositus est ei qui post imperatus est, ita illo loco primum bellum continenter gestum opponitur sive ei, quod post continenter gestum est, sive pluribus hujus generis. Ex his igitur verbis cognoscimus Thucydidem haec verba scribentem aut in duo aut plura bella continenter gesta totum bellum XXVII annorum disposuisse, atque ex eo quod non initio narrationis (II 1) sed hoc demum loco has partes commemorat, multi

videntur conclusisse eum illud initium scribentem has nondum cognovisse. Sed huic sententiae quis assentiri potest? Nonne enim patet Thucydidem verbis quae sunt V 24, 2, respicere quae II 1 ab eo dicta sunt. Hoc autem non potest, nisi haec verba eadem cum sententia eademque de re ab eo dicta sunt, de qua verba V 24, 2 h. e. de prima.parte totius belli. Ut autem hanc partem in initio operis (II 1) non primam nominaret (*πρῶτος πόλεμος*) sed tantum modo imperfecto verborum *ἐπιμίγνυσθαι* et *πολεμεῖν* usurpato significaret, haec verba non de toto bello XXVII annorum intellegenda esse: propterea videtur factum esse quod, ut supra demonstravimus, (pag. 22) ab ejus more abhorrebat in rebus narrandis aliquid praeter temporas ordinem antecapere.

Quae cum ita sint, neminem puto dicere posse Thucydidem, si opus incipiens totum bellum cognitum habuisset, in ejus initio primam partem accuratius significaturum et a reliquis discreturum fuisse. Sed putandum est eum jam opus incipientem sibi proposuisse, ut prima parte belli narrata, qui hujus essent fines, exponeret.

Quod autem scriptor hanc primam belli partem ipsam *πόλεμον* (V 24, 2) vocavit, non est id, ex quo concludi possit eum operis primam partem scribentem hanc pro t o t o bello habuisse quod scripturus fuerit. Nam etiam aliis locis partes quaedam belli *πόλεμοι* vocantur: V 26, 2 *ὁ Μαντινικὸς καὶ Ἐπιδαύριος πόλ.*; V 28, 2 *ὁ Ἀττικὸς πόλ.*; VII 85, 4 *ὁ Σικελικὸς πόλ.*; VIII 11, 3 *ὁ Ἰωνικὸς πόλ.* Ut igitur hae belli partes ex locis nominatae sunt quibus gestae sunt, ita V 24 prior pars ex modo quo gesta est, *πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος* nominatur. Nam cum etiam modo gerendi belli singulae partes inter se differrent, quandoquidem duae continenter gestae sunt, una non est, nihil obstitit scriptori, quominus primam belli partem primum bellum nominaret continenter gestum, quamquam bellum XXVII annorum pro uno ac toto haberet.

Quae Classenius ad II 1 de significatione *ἐν ᾧ* (in verbis *ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο*) disseruit, eis ego quanquam non possum assentiri, tamen hic ea non repetam quae Herbstius

in acuta illa dissertatione (pag. 506) ad illum refellendum de hoc loco disputavit. Sed Herbstium quoque puto errasse arbitrantem scriptorem prius bellum — nam hoc verbis illis *ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο* et eis qu. sequ. significatum esse vult — in duas partes divisisse, quarum alteram esse ante verum initium belli LXXX dies complectentem, qui sunt ab impetu nocturno quo Plataeae oppressae sunt, usque ad primam Lacedaemoniorum in Atticam invasionem, alteram reliquum bellum usque ad Niciae pacem gestum. Atque haec sententia eo mihi videtur refelli, quod Thucydides nocturnum illum impetum pro vero initio belli habuit, quod quidem ex eo cognoscimus quod paulo post (cap. II) tempus quo factum est, diligentissime circumscribit, quod certe non fecisset, si eum pro belli initio non habuisset. Itaque utrumque verbum et *ἐπιμίγνυσθαι ἀκηρυκτεί* et *καταστάντας ξυνεχῶς πολεμεῖν* de eodem belli initio itidem arbitror dictum esse. Illud *καταστάντες* autem, cujus explicandi causa Herbstius videtur sententiam suam concepisse, ita interpretandum esse arbitror. In primo libro scriptor plura bella narraverat, quae Athenienses cum Peloponnesiis gesserant. Sed in haec omnia tantummodo *κατέστησαν* h. e. cum ea gerere coepissent, uno proelio vel paucis factis desierunt. Quod autem bellum tum ortum est, ab utrisque non solum susceptum sed etiam perrectum est. Itaque sic vertam illa verba II 1 *ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο* et qu. sequ. „in quo neque ullis inter se commerciis amplius sine caduceatore miscebantur, et bellum quod susceperant, pergere coeperunt“.

II 54, 3: *ἦν δέ γε, οἶμαι, ποτὲ ἄλλος πόλεμος καταλάβῃ Δωρικὸς τοῦδε ὕστερος καὶ ξυμβῇ γενέσθαι λιμόν, κατὰ τὸ εἰκὸς οὕτως ᾄσονται.* Eis quae Classenius ad Ullrici sententiam refellendam de hoc loco disputavit, hoc unum habeo quod addam. Thucydidem commemorantem *λιμόν*, qui in alio bello Dorico nasci posset, de nulla fame cogitasse, nisi quae casu facta esset, ex verbis oraculi quod paulo ante reddidit, videtur apparere. Nam cum praedictum esset *λοιμόν* sive *λιμόν* futurum esse *ἅμα τῷ πολέμῳ*, hac praepositione significatum

est futurum esse, ut hae duae res uno quidem tempore acciderent, sed ita ut altera non altera efficeretur. Etenim eae res, quae altera alteram progignunt, ne in oraculo quidem dici possunt *ἅμα* esse sed dicendum est *δι' αὐτόν* sive *ἀπ' αὐτοῦ*. Atque hanc vim quae est in praepositione *ἅμα*, Thucydides mihi videtur expressisse verbo *ξυμβῇ*, quod de eis rebus quae casu eodem tempore quo aliae accidunt, a Thucydide usurpatur, ut recte mihi videtur Herbstius animadvertisse. Itaque arbitror neminem Athenis extremo bello fuisse, qui, cum urbs obsessione Lysandri fameque ea orta premeretur, putaret in hanc cadere oraculum initio belli praedictum. Quare nihil Thucydidi post finem belli obstitit, quominus scriberet,, si novum bellum Peloponnesiacum factum esset casuque fames accessisset, omnes arbitraturos esse *λιμόν* oraculo esse portentum. Quae autem de altero oraculo Peloponnesiis dato ab Ullrico ad sententiam suam confirmandam disputata sunt, non videtur necesse refelli, cum neque Leskius neque Schoenius neque Otto Struve, qui proxime ejus sententiam defendit, cujus dissertatio hoc ipsum scribenti mihi in manus incidit, huic argumentationi quicquam tribuendum esse putavit.

Neque plura videntur disputanda esse de II 8, 1: *ἀρχόμενοι γὰρ πάντες ὀξύτερον ἀντιλαμβάνονται.* Quo loco si Ullricus secum reputavisset non superlativi quem vocant formam scriptorem usurpasse sed comparativi, ex ejus verbis non conclusisset, quod conclusit. Si quis enim scriptor dicit homines quosdam rem quam susceperint, initio intentius egisse, ut plerumque fieri soleat, num his verbis negat eosdem, cum post in res graviores incidissent, etiam intentius gerere potuisse? Itaque arbitror Thucydidem illa verba scribere potuisse, etiamsi contentionem in memoria haberet, qua Athenienses post cladem Siciliensem bellum gesserunt.

Atque ut omittam eos libri II locos quos Ullricus quidem tractavit, sed omnes fere Ullriciani nihil valere putant ad ejus sententiam comprobandam, Schoenius in verbis quae

sunt III 87, 3, gravissimum argumentum inesse putavit. Ibi sunt haec: ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅ τι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν. Ullricus igitur quique ab ejus partibus sunt arbitrantur, si scriptor hunc locum scribens magnas illas clades cognitas habuisset, quae Atheniensibus expeditione Siciliensi, et damna quae extremo bello discordiis intestinis illata essent, eum haec de pestilentia scripturum non fuisse. Ac recte quidem concedendum est eum judicasse, nisi quidam fines inveniuntur earum rerum, quibuscum Thucydides hoc loco pestilentiae damna comparaverit. Classen igitur putavit non belli seu quasdam seu omnes clades hoc loco comparari, sed ea mala quae Atheniensibus praeter bellum acciderint. Hanc Classeni sententiam scriptoris ipsius verbis non confirmari quis est quin intellegat. Itaque rectius mihi videtur Otto Struve hunc locum intellexisse, qui putat Thucydidem ea mala comparare cum calamitate pestilentiae, quae usque eo h. e. usque ad annum V belli Atheniensibus acciderint. Itaque hoc loco eadem narrandi ratio invenitur quae est III 86, 2 (ξυνεπολέμησαν), ubi praeter Cwiklinskium omnes qui ab Ullrici partibus sunt, consentiunt illud οὐ ξυνεπολέμησαν de eo tempore dictum esse, quod usque eo narratum est. Praeterea hac interpretatione id videtur confirmari quod supra de Thucydidis comparationibus diximus, qui cum de gravitate alicujus rei agat, semper ea quae prius gesta sint, ad comparandum afferat. Longissime autem ii mihi videntur a vero aberrasse, qui putaverunt Thucydidem hoc loco universas clades bello acceptas, seu XXVII seu decem annorum bellum hoc loco scripturus fuerit, comparare cum damno pestilentia allato. Nam has si comparare voluisset, nonne scripsisset: ὥστε μηδὲν κακῶσαι. Illo autem ὥστε μὴ εἶναι ὅ τι mihi videtur significasse singula damna belli se comparare cum damno pestilentiae. Quod cum certum sit, ne id quidem damnum quod expeditione Siciliensi acceptum est, cum illa eum comparasse putandum est. Nam plura certe damna Atheniensibus in Sicilia illata sunt, quorum quidem quodque cum damno pestilentiae comparatum hoc minus videri

oportebat. Damna autem civilibus discordiis orta universa comparari non poterant, praesertim cum his non tam δύναμις sive copia quam πόλις h. e. civitas attrita esset. Itaque ne eos quidem qui putant illud ἐκάκωσε de toto bello, quod Thucydides tum scripturus fuerit, dictum esse, recte arbitror ex ejus verbis conclusisse Thucydidem haec scribentem posterius bellum nondum cognovisse. Nam quodcunque damnum Athenienses per hoc acceperunt, per se cum pestilentiae damno comparatum hoc minus videbitur.

Omitto quae ab Ullrico de IV 48, 5 disputata sunt, quandoquidem hunc locum supra satis videmur interpretati esse. Libri autem I longe gravissimum argumentum ad Ullrici sententiam comprobandam in cap. 23 videtur inesse, de cujus § 1—3 num ille recte judicaverit, iam videamus. Primum igitur Ullricus, Cwiklinskius, Leskius, Schoenius arbitrantur scriptorem hoc loco cautissime de magnitudine belli Persici judicasse; hoc autem propterea fecisse, quod bellum quod scripturus fuerit, ei hoc non multo majus visum sit. Itaque concludendum esse ei haec verba scribenti propositum fuisse, ut decem annorum bellum scriberet. Nam si hoc loco de bello XXVII annorum egisset, liberius eum locuturum, vel potius satis habiturum fuisse belli annorum magnum numerum dicere. Quem si dixisset, ne enumeraturum quidem fuisse παθήματα, quibus homines bello oppressi fuissent. Deinde Ullricus putat verbis ἐν ἴσῳ χρόνῳ scriptorem respexisse quoddam bellum; nam nisi cum malis belli sive similis temporis spatii cum nullis hoc loco παθήματα illa comparari posse. Cum autem in eis quae antecedant, priorum bellorum de nullo nisi de Persico et Trojano egerit, veri simile esse eum verbis illis ἐν ἴσῳ χρόνῳ rationem habere Persici per decem annos gesti. Ex hac autem comparatione concludendum esse bellum, quod tum scripturus fuerit, et ipsum X annorum fuisse.

Tum Ullricus putat, si Thucydides post finem totius belli haec scripsisset, eum pestilentiam non in summis malis quibus res publica Atheniensium perierit, habiturum fuisse. Nam

quamvis atrox et terribilis haec fuerit, tamen Athenienses tam celeriter ex ejus damnis recreatos esse, ut cum expeditionem Siciliensem susciperent, nullum ejus videretur vestigium reliquum esse.

Gravissimum autem, quo Ullrici sententia comprobetur, omnes id esse putaverunt, quod a scriptore in eis quae natura inter hoc bellum acciderint, lunae defectio quae anno 413 fuerit, ab eo non commemoretur. Nam hanc si cognitam habuisset, eum putant omissurum non fuisse, cum omnium rerum hujus generis longe gravissima et Atheniensibus perniciosissima fuerit.

His igitur Ullrici argumentis omnes fere qui ab ejus partibus stant, assensi sunt. Schoenius autem ipse assentiens (pag. 828) putavit § 1 et 3 cum primum Thucydides opus scriberet, compositas esse; quae autem in § 2 sint, nisi de toto bello XXVII annorum dici non posse. Atque hanc ob causam haec post totius belli finem scripta esse putat. Sed mihi videntur haec ita et cum eis quae antecedunt, et cum eis quae sequuntur, conjuncta esse, ut altera altero tempore composita esse mihi persuadere non possim. Nam § 2 continet explicationem eorum quae in § 1 dicta sunt, et eis praeparatur quae sunt in § 1: *παθήματά τε ξυνηνέχθη γενέσθαι ἐν αὐτῷ τῇ Ἑλλάδι οἷα οὐχ ἕτερα ἐν ἴσῳ χρόνῳ.* Itaque si sequeremur Schoenium, putandum esset Thucydidem ea quae in § 1 de priore bello X annorum ita dixisset, ut nisi de hoc dici non possent, eis explicavisse, quae nisi de toto bello XXVII annorum de nullo dici possent. Cui rei cum nemo assentiri possit, putandum est ea quae sunt § 1—3, uno tempore composita esse. Ne vero cum Ullrico de priore belli parte haec dicta esse putem his impedior causis.

Primum non video, quae sit illa cautio qua Ullriciani putant scriptorem in bello Persico commemorando usum esse. Quid igitur aliud hi putant eum de bello Persico dicturum fuisse, si cum bello XXVII non decem annorum comparasset, ac celeri discrimine id fuisse. Num putant aequum fuisse eum hujus magnitudinem pluribus exponere, ut de-

monstraret, quantum illud fuisset quod scripturus esset? An periculum, in quod bello Persico Graecia adducta est, cum periculo, in quod bello Peloponnesiaco vocata est, comparandum erat? Quod quidem tam ineptum fuisset, ut hac comparatione nihil effici posset, nisi ut bellum Peloponnesiacum bello Persico minus judicaretur. Itaque in eis quae a scriptore de bello Persico dicuntur, nihil inesse apparet, ex quo cautio illa dicendi cognoscatur.

Quod autem Ullricus dicit Thucydidem, si hunc locum scribens totum bellum cognovisset, ejus spatio commemorato satis comprobaturum fuisse bellum quod scripturus esset, omnium quae gesta essent, gravissimum esse, etiam minus probabile mihi videtur esse, Nam ut nemo dicere potest, quo longiora sint bella, eo esse atrociora, ita ne Thucydides quidem atrocissimum fuisse suum bellum comprobare poterat ejus spatio commemorato. Cur autem eis quae hoc loco de atrocitate belli exposuit, nihil de ejus spatio insuper addiderit, supra (pagin. 22) demonstravimus, ubi jure et ordine hoc a Thucydide tum expositum esse diximus, cum belli priorem partem narravisset.

Quae autem Ullricus de significatione vocabulorum ἐν ἴσῳ χρόνῳ disputavit, propterea non possum probare, quod arbitror Thucydidem neque cum bello Persico neque cum Trojano hoc loco tempus belli Peloponnesiaci comparasse. Nam si putaremus hoc eum fecisse, qua causa putandum esset eum prohibitum esse dicere ἐν ἄλλῳ πολέμῳ sive simile quid. Itaque arbitror ex eo, quod hoc loco bella, de quibus prius dixerat, non commemoravit neque certius belli cujusdam spatium constituit, concludendum esse eum noluisse haec duo bella sola cum bello Peloponnesiaco comparare sed dicere voluisse, quodcunque temporis spatium comparandum quis eligat, ejus mala non paria esse eis, quae bello Peloponnesiaco evenerint. Cum igitur illud ἴσος ad nullum temporis spatium referendum sit, quod scriptor ante commemoravit, de bello XXVII annorum illa verba non minus recte dicta esse putantur quam decem annorum.

Qui vero dicunt Thucydidem, si post totius belli finem opus suum scribere coepisset, pestilentiae non tantam vim tributurum fuisse, neglegere mihi videntur, quo loco scriptor hanc commemoraverit. Nam cum hanc in ejs enumeret quae *πρότερον ἀκοῇ μὲν λεγόμενα, ἔργῳ δὲ σπανιώτερον βεβαιούμενα οὐκ ἄπιστα κατέστη*, nescio quid hujus generis memoria dignius fuerit praeter illa quae commemoravit: *σεισμούς, ἡλίου ἐκλείψεις, αὐχμούς, λιμούς*. Quod autem commemorans addit: *οὐχ ἥκιστα βλάψασα καὶ μέρος τι φθείρασα* nemini mirum esse potest. Nam primum ejus damna tanta erant, ut eis quae expeditione Siciliensi effecta sunt, non dissimilia essent, deinde eam hoc loco commemorare non poterat, nisi summa haec damna verbis efferebat. Etenim si minora fuissent, ne illa quidem fuisset digna, quae inter res reliquas *σεισμούς, αὐχμούς, ἡλίου ἐκλείψεις, λιμούς* commemoraretur. Accedit quod scriptor pestilentiae malis non solum interfuit, sed etiam ipse oppressus est. Quare putandum est nihil tantopere in ejus mente impressum fuisse quantopere memoriam hujus miseriae. Propterea nihil miri in eo videtur inesse, quod hanc in gravissimis eis rebus enumerat, quae *μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθεντο*.

Similiter mihi videtur judicandum esse de defectione lunae anni 413 a. Chr. n., quam Ullricus putat scriptorem non minus quam solis defectiones commemoraturum fuisse, si haec scribens eam cognitam habuisset. Sed si diligentius ea nobiscum reputamus quae sunt in § 3, consilium, quo scriptor haec scripsit, id videtur esse, ut demonstret bellum quod narraturus sit, non solum propter ejus diuturnitatem calamitatesque quae in eo in homines inciderint, sed etiam propter res, quae casu per hoc acciderint, memoria dignum esse. Ut vero in his lunae defectiones non commemoraret, nulla causa videtur factum esse, nisi quod hae cum omnibus tum ipsi minus graves ac singulares videbantur, quam ut in eis quae *ἀκοῇ μὲν λεγόμενα, ἔργῳ δὲ σπανιώτερον βεβαιούμενα* erant, nominarentur. Atque 425 quidem anni lunae defectionem omnino non commemoravit. Illam autem qua Niciae

animus perterritus est (a. 413), certe non magis commemorasset, nisi tantum valuisset ad Athenienses in Sicilia delendos. Hanc vero ob causam eam una cum solis defectionibus commemorandam fuisse nemo dicere potest, qui meminerit Thucydidem hoc loco ad comprobandam sententiam suam ea enumerare, quae per se singularia ac memoria digna fuerint. Illa autem defectio non per se memorabilis erat, sed eis quae Nicias de ea suspicabatur, fatalis facta est. Quare hoc certe loco commemoranda non erat. Quae cum ita sint, nihil reperio toto cap. 23, quo mihi pesuadeatur id ante bellum finitum scriptum esse.

Reliquorum lib. I locorum gravissimus mihi videtur esse 10, 2. Quae ab Ullrico de hoc loco disputata sunt, omnia ego non repetam, sed nihil ex iis afferam, nisi quod Leskio videtur aliquid valere ad Ullrici sententiam comprobandam. Is igitur putat verba: *καίτοι Πελοποννήσου* (sc. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *τῶν πέντε τὰς δύο μοίρας νέμονται, τῆς τε ξυμπάσης ἡγοῦνται καὶ τῶν ἔξω ξυμμάχων πολλῶν* post totius belli finem propterea scribi non potuisse, quod quae de principatu Lacedaemoniorum dicantur, non eis opibus paria sint quibus tum floruerint. Nam post a. 404 eos non solum totius Peloponnesi multorumque praeter hanc sociorum principes fuisse sed totius Graeciae. Quasi autem haec argumentatio non sufficiat, pergit: „Das Entscheidende liegt ferner ganz offenbar darin, dass ein patriotischer Athener nach 404, wo Athen so tief gedemüthigt war, sich überhaupt in keiner Weise versucht fühlen konnte, von seiner Vaterstadt zu sagen: ihre Macht wird doppelt so gross erscheinen, als sie jetzt wirklich ist“ (pag. 11). Sed quis dicat Thucydidem, cum ejus patria multis cladibus afflicta esset, ejus amore retineri debuisse, quominus de ejus potentia ageret. Nonne qui ita judicant, aequum est eos Thucydidem vituperare, quod historiam belli scripserit, quo ipsius patria victa ac paene deleta sit. Quare nisi propter hoc scriptorem vituperare possum, ne illud quidem de opibus patriae suae quamvis fractae scribere mihi videtur ab ejus moribus alienum fuisse.

Quae vero de Lacedaemoniorum potentia hoc loco a Thucydide dicuntur, totius Peloponnesi eos principes esse ac praeterea aliorum sociorum multorum, rectius arbitror dicta esse, quam si dixisset eos totius Graeciae duces esse. Nam nemo dubitare potest, quin post finem belli civitates Graeciae fuerint, quae eis non obsecutae sint (cf. Herbstium l. c. pag. 547). Itaque tantum abest, ut Thucydidem putem hunc locum ante totius belli finem scripsisse, ut nullo tempore nisi post ejus finem eum potuisse dicam. Accedit quod hoc loco, ut Herbstius animadvertit, opes Atheniensium multo minoris aestimat, quam lib. II 41 Periclem aestimantem facit. Hujus autem rei ea est causa, quod Pericles illo loco de civitate judicat bello adverso nondum fracta, hoc autem Thucydides de ea quae exitu totius belli attrita erat.

Cum reliquos primi libri locos quos Ullricus tractavit, plurimi eorum qui eum sequuntur, consentiant nihil valere ad ejus sententiam comprobandam, nobis quoque videntur praetermittendi esse.

VII.

Satis videmur demonstrasse eos locos, quibus Ullricus sententiam suam comprobare conatus est, nihil in se habere quo quis putare prohibeatur eos post totum bellum scriptos esse. Itaque jam ei loci enumerandi sunt quibus cogimur putare quattuor priores libros a Thucydide non ante totius belli finem scriptos esse. Qui quidem loci tales sunt, ut nemo putare possit eos a scriptore, cum opus prius conscriptum retractaret, additos esse vel ita, ut sunt, correctos esse. Cum autem Herbstius hos locos copiosissime tractaverit atque nos spatium nunc deficiat eorum iterum tractandorum, satis habebimus ex eis, quos homo ille doctissimus disseruit, eos enumerare quibus nobis videtur sententia nostra confirmari. Neque enim omnes, quos tractavit, quicquam mihi videntur valere, minimeque eis possum assentiri quae de orationibus, et eis quae a Thucydide τὰ

δέοντα (I 22, 1) vocantur, disputavit. Sed de hac re alio tempore nobis agendum erit. Loci autem illi sunt hi:

II 13, 7 τοσοῦτοι γὰρ ἐφύλασσον τὸ πρῶτον, ὁπότε οἱ πολέμιοι ἐσβάλοιεν. cf. Vollheimium in progr. gymn. Islebensis a. 1878 pag. 9.

III 68, 4 νομίζοντες ἐς τὸν πόλεμον αὐτοὺς ἄρτι τότε καθιστάμενον ὠφελίμους εἶναι. De quinto belli anno haec dicta sunt.

III 82, 1 οὕτως ὠμὴ στάσις προὐχώρησε, καὶ ἔδοξε μᾶλλον, διότι ἐν τοῖς πρώτη ἐγένετο ἐπεὶ ὕστερόν γε καὶ πᾶν ὡς εἰπεῖν τὸ Ἑλληνικὸν ἐκινήθη.

IV 81, 2 ἔς τε τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον ἡ τότε Βρασίδου ἀρετή . . . μάλιστα ἐπιθυμίαν ἐνεποίει τοῖς Ἀθηναίων ξυμμάχοις ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους.

IV 108, 4 καὶ γὰρ καὶ ἄδεια ἐφαίνετο αὐτοῖς, ἐψευσμένοις μὲν τῆς Ἀθηναίων δυνάμεως ἐπὶ τοσοῦτον ὅση ὕστερον διεφάνη.


Atque ut jam ea comprehendamus, quae cum Ullrici sententiam tribus primis capitibus refellissemus, ab initio cap. IV disputavimus, omnes interpretandi difficultates, quae sunt in IV 48, 5, quae neque Ullrici neque Classeni neque ullius adhuc interpretis opera remotae sunt, facillime tolluntur, si quid intersit inter ὁ πόλεμος ὅδε et ὅδε ὁ πόλεμος intellexeris. Ex hoc vero discrimine etiam id cognoscimus scriptorem eis locis, ubi ad id quod narrat, restringendum addit ὅσα γε ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε sive simile quid, rationem habere rerum posteriore bello gestarum. Cum autem tale quid lib. III 98, 4 inveniatur, putandum est hunc locum quaeque eum sequuntur et paulo antecedunt, post belli finem scripta esse. Quod vero in eis quae sunt ab initio totius operis usque ad hunc locum, nullus terminus reperiri potest, ad quem putare possimus scriptorem opus primum coeptum deduxisse, priusquam intermitteret, ne intermisisse quidem eum putandum est. Sin autem non intermisit, post finem totius belli eum opus suum scribere coepisse necesse est.

Qui autem loci ab Ullrico investigati sunt, ut comprobet primos tres libros quartique dimidium ante belli finem scriptos esse, si quis recte eos interpretatur, nihil in se habent quo cuiquam persuadeatur eos ante totius belli finem scriptos esse. Cum autem loci haud pauci sint, qui nisi post totius belli finem scripti esse non possint, hoc tempore Thucydidem opus vel scribere coepisse vel prius conscriptum ita elaborasse putandum est, ut nullum supersit vestigium, ex quo cognoscere possis, quando opus prius composuerit.


Corrigenda:

Pag. 3 v. 29 lege „futurum“ pro „futerum“.
Pag. 8 v. 2 lege „πόλεμος“ pro „πόλδμος“.
Pag. 24 v. 6 lege „τῷδε“ pro „τῶδε“.
Pag. 30 v. 12 lege „posuisse“ pro „prosuisse“.
Pag. 30 v. 15 lege „aliis“ pro „alliis“.
Pag. 30 v. 31 lege „continetur“ pro „contineter“.
Pag. 31 v. 12 lege „gestas“ pro „gestis“.










3 2044 085 174 290

